


PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXI (Fasc. I) — N. 173
M. A. MARTIO MCMLXI

PALAEASTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetas; in Gallia: 8 francs; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEASTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'5 francs; in Italia: 300 libellis; In Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dollaris.

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA (10)
vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXXI (Fasc. I) N. 173

M. MARTIO A. MCMLXI

J. JIMENEZ DELGADO, <i>Liber qui «De miraculis Sancti Isidori» inscribitur</i>	1
AE. ORTH, <i>De antiqua logica</i>	7
N. MANGEOT, <i>De ludis gladiatoriis</i>	15
J. M.º MIR, <i>Nova et Vetera: Villa hodierna</i>	18
P. B. SCHMIDT, <i>Fabula Siciliensis</i>	26
CARD. A. BACCI-MIR, AVENARIUS-MIR, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	32
J. IJSEWIJN, <i>De inediae pro telo incruento et pacifico usu apud Ramanos observatiuncula</i>	38
J. IJSEWIJN, <i>Cursin notata (II)</i>	39
J. SIDERÀ, <i>Per Orbem</i>	40
J. ARAMENDIA, <i>Nuntia varia percipite</i>	40
BIBLIOGRAPHIA, Siderà, J. Aramendia, C. Eichenseer, Philoponus, M. Molina, A. Marqués, I. González,	46
PALAEASTRA ADULESCENTIUM	
M. Ortiz, J. Grau, S. Esono, P. Atebá, J. Sanchis, Nivicanida et septem nani	53
A. Martínez, <i>Dives peccata confitetur - Curiosa et jocosa</i>	58
Lucius Quinctius Cincinnatus dictator dicitur	59
J. Beltrán, <i>Aestiva nocte - N. Mangeot, Canis homicidam prodit - Potator vafer - J. Canals, J. M. Camarero, J. M. Martínez, Miscentis utile dulci</i>	61
J. Colell, <i>Homines probi - J. Bonmatí, Vae victis - J. Camps, Aenigmata</i>	62
L. Rovedatti, <i>Petrus in vincula conjectus fugit - Solutiones</i>	63
Ancoras persolvite	64

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARI
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXI (FASC. I) — N. 173

M. JANUARIO

A. MCMLXI

Liber qui "De miraculis Sancti Isidori" inscribitur

1. Nuper, mense octobri, Legione in Hispania, ubi sacrum Sancti Isidori episcopi hispalensis corpus magna Hispanorum veneratione et pia memoria colitur, Annus Isidorianus a Sancta Sede singulari favore indictus et spiritualibus gratiis ditatus, magna populi frequentia et episcoporum copia, sollemniter clausus est. Hic Annus Isidorianus ex eo indictus est quod hoc anno MCMLX, ut fama fert, saeculum decimum quartum recurrit ab illius clarissimi scriptoris nativitate, qui clericorum speculum est appellatus, fidei lumen splendens, egregius Ecclesiae doctor, scientiarum litterarumque eximius cultor et praeco.

Hac data occasione, opportunum mihi visum est de libro «De miraculis Sancti Isidori», qui olim omnibus in amore et deliciis erat, nunc vero plerisque hominum fere ignotus est, breviter disserere et ex eo pauca offerre miracula, quae sint sermonis latini exempla minime dignandi, illius nempe quae dicitur obscurae et barbara aetatis medii aevi.

2. Codicem ad manus habeo qui Legione in Coenobio seu Basilica Sancti Isidori diligenter asservatur¹. Auctor operis est vir clarus, nomine

1. Tres adhuc in coenobio legionensi codices nn. 61 62, 63 asservantur, qui opus «De miraculis Sancti Isidori» continent saeculo XVI transcriptum; codex vero autographus periiit; de quo haec habet notus scriptor legionensis coenobiti, Julius Llamazares: «El original de los Milagros se atesorraba en San Isidoro; mas viñiendo a León D. Juan pidió el libro para leerlo y tanto le agrado que se le llevó a la Corte para leerle de nuevo, y aunque con ánimo de devolverle, no pudo cumplir su propósito por sobrevenirle la muerte, pasando el libro a su hijo Don Enrique IV, y de éste a Doña Isabel la Católica, y, al morir ésta, le recogió el Cardenal Cisneros y le donó a la Biblioteca de Alcalá de Henares; protestaron los canónigos de San Isidoro de esta arbitraria disposición, aunque inútilmente pues sólo lograron que se les permitiera sacar una copia del mismo, que es el códice que ahora

Lucas, qui, diaconus legionensis primum, Salmanticae postea doctor egregius, demum Tudensis episcopus, in laudem Sancti Isidori, pia veneratione miracula, quae vulgo tradebantur, collecta evulgavit. Nusquam hunc librum adhuc vidi latine editum², sed tantum hispanice translatum. Conversio vero prima hispanica a Joanne Robles in ipso Legionensi Coenobio Sancti Isidori canonico parata —quae quidem magni momenti est— Salmanticae prodiit a. MDXXV³. Sed mea non refert in praesentiarum de auctore, de codicu transmissione, de interpretibus, de ipsa re, quae ad historiam seu veritatem miraculorum spectat, sermonem facere; hoc tantum in animo est, exemplum praebere linguae latinae illius scriptoris, qui Salmanticae ineunte saeculo XIII magister scholarum erat et anno MCCXXIII librum scripsit «De miraculis Sancti Isidori», omni commendatione dignum. Primus enim interpres hujus operis sine ambagibus laudat sermonis latini elegantiam peritiamque auctoris, qui vir clarissimus fuerat et regius rerum scriptor⁴.

Affero tantum prologum et ex miraculis tria breviora. Orthographiam vero ad optimorum auctorum normas restituere coactus sum, cum nulla de

describimus. Cf. *Catálogo de los Códices y Documentos de la Real Colegiata de San Isidoro de León* (León, Imprenta Católica, 1923, pág. 66). Hanc transcriptionem latinam saeculi XVI adhibui ad excerpta quae mox lectoribus offeram.

2. Quod sciam, tantum posteriora capita latine edita sunt, id est a capite LII ad caput LXXV. Cf. Migne PL 208, 10-24. Agitur in his capitibus de vita Sancti Martini legionensis presbyteri atque sub regula S. Augustini canonici in regio coenobio legionensi a Divo Isidoro nuncupato, ex opere quod inscribitur «De miraculis S. Isidori» desumpta. Haec vita sermonibus ipsius Sancti Martini praemittitur.

3. JUAN DE ROBLES, *El libro de los milagros de San Isidoro* (Salamanca, 1525). Haec interpres in praefatione scribit:

«Este libro es de algunos deuotos milagros de muchos que Dios nuestro señor ha fecho et face continuamente por los meritos e unteceston del su muy glorioso confessor sant isidro, excellentissimo doctor et primado de nuestras españas. Et fue copilado en latin muy elegante por un deuoto et muy científico uarón llamado luchas, el cual despues por sus meritos fué obispo de tuy y uno de los principales e mas auctenticos coronistas latinos antiguos que ouo en españa. A quien la Reyna doña berenguela fija del rrey don Alonso de Castilla muger de don alonso de León, madre del rrey don fernando de león y de castilla, dió el cargo de proseguir et acabar la coronica fecha por el mismo Sant Isidoro, desde el principio del mundo fasta su tiempo. Et proseguida por su discípulo sant alfonso et por otros sabios uarones de españa antes del tiempo de la dicha Reyna et del dicho obispo don luchas: el qual copilo los dichos milagros de sant isidro, por ruego de don martino, que a la sazon era abad de la santa casa et monasterio de sant isidoro de la noble et muy leal ciudad de leon; e anst mismo por mandato o ruego de un fray suero o prior prouincial que por entonces era de la orden de predicadores como paresce por la epistola en el principio deste libro contenido... (Postea historiam codicis autographi affert auctor et addit:) no se muda ni quita palabra alguna sustancial en la dicha traslación del latin al romance».

4. Cf. JUAN DE ROBLES: Praef.: «...Et fue compilado en latin muy elegante por un deuoto et muy científico uarón llamado luchas». De Luca Tudensi disserunt FLÓREZ, *España Sagrada*, t. 22; A. VINAYO, *San Martín de León y su Apologética antijudía*, Madrid-Barcelona (C. S. I. C.) 1948, p. 23-24; cf. TUDENSIS, *De altera vita fideique controversiis adversus Albigensem errores lib. III* (Edit. Mariana, Inglostadt, 1612).

hac re cura sit in codice quem nunc mihi volvere licuit⁵. Non enim agitur de codice autographo saec. XIII, sed de transcriptione quadam, saeculo XVI vertente, facta⁶. Nihil mirum igitur si in plurimis mendis, orthographicis in primis, sed etiam linguae latinae saepe aciem oculorum offendimus.

3. Atque in primis prologum seu praefationem afferamus, cuius momentum in eo est quod laudes seu elogia praeclara Divi Isidori eo continentur, eorum virorum qui post Archiepiscopum Hispalensem maxime virtute litterisque floruerunt. Ita se habet:

Incipit prologus in libro miraculorum Sti. Doctoris Isidori

Laudes gloriosissimi confessoris Hispaniarum doctoris Isidori silentio tegere indignum est, et ignaviae recti examinis indicio tribuendum; nimisrum, dum in hoc mortali corpore uixit «omnibus emnia factus», cunctis sedulo ac sollicite paterno affectu in temporalibus et aeternis se prodesse studuit; et nudo cum Christo regnans «mortali exutus corpore», orationibus sacris miraculorum tueri, sublimare ac decorare non cessat.

Quomodo tacet lingua periti hominis cum ipsa muta elementa certissimis et stupendis clamet indicis? Quomodo silent viri scholastici qui a beatissimo doctore tanta scientiarum et artium non solum adepti fuere, verum etiam quotidie assequuntur beneficia? Sed licet quodammodo ingratitudine praepediti redarguantur, beatissimus tamen confessor cum Christo gaudens impassibilis, pia vero compassione solita, condescendens nostrae in beati tali clementia, non dessimili de qua prout legimus uiuens in corpore operatione diuina nostris temporibus dignatur ostendere. Ita ut modo illud propheticum impleatur, scilicet, «sicut audiuimus ita et uidimus». Et cum regina Austri ueritatis causa monente, altero Salerni dicere ualeamus: «Malora sunt opera tua, quam rumores quos audiuimus».

Docuit namque nos fideliter vir apostolicus, dum huius corporis tegmine feliciter uteatur et sacrae legis plures libros edidit, Ecclesiae Christi delecti inimicos, fideles beneficus uirtutibus et miraculis extulit, infideles ad fidem orthodoxam conuertit: sed consimilia omnipotens Deus usque hodie prout in antedictis praelibaulmus populo-christiano clemente ad laudem sui nominis declarare dignatur, quod in sequentibus Domino annuente, curabo detegere ac pro uiribus fideliter demonstrare. Timidus nempe ac tremulus ut quod penuria meae temeritatis, dilectione tanti patris urgente, propter litteraturam debitam attentauit in auctoris odium, beati confessoris timore postposito, detractorum reprehendatur proterua, aemulis dilanietur corrosionibus et derogationis causa furtive dentibus laceretur.

Teste tamen Deo et beatissimo confessore Isidoro, plim exopto et desidero correctorem, ut uiri honesti et litterati quotquot nimium digne sufficienterque dictauero

5. Perillustri doctori ANTONIO VINAYO, canonico regulari Sancti Isidori seduloque actorum in eodem vetustissimo legionensi coenobio custodi, gratias quam maximas refero ob multam rerum copiam ab eo acceptam et ob magnam in me comitatem et obsequium. Praeter alia ipsius edita opera librum, cui titulus est: «Santo Martino de León peregrino universal, Los viajes científico-religiosos en el siglo XII» (León, Imp. Católica, 1960) et laudo et magnopere commendo.

6. De hac re confer in notula prima ea quae JULIUS PÉREZ LLAMAZARES scripsit in opere supra laudato, quod inscribitur: *Catálogo de los Códices y Documentos de la Real Colegiata de San Isidoro de León*. (León, Imp. Católica, 1923).

pia reprehensione corrigan, et in laudibus confessoris erumpant, quia si splendida uerba ueritatis, tamen materiam ex isto dictamine assumere possint ut laudent. Et quamvis animo inopiam fateor locutionis, nimia tamen... patris afflictus, immo multimoda confessoris caritate coactus laudes eius etiam si uoluero adiuratus silere non queo. Sed quibus praeconis attollere possum quem praedecessores nostri primi ac sanctissimi, tantis antonomaste laudibus extulerunt. Hunc beatus Gregorius fidel lucernam clarissimam, Spiritus Sancti doctus praeagium, alterum Danielem adstruxit. Beatus Braulius episcopus, Hispaniarum doctorem dixit; et Sanctus Ildefonsus clericorum honestas, dulciter modulando de magistro ita dicitauit: «Decus archipraesulum, sacerdotum speculum, et cetera... in libro de testamentorum concordia, gemma praeagium et inter confessores praecipuum signauit; atque legionensis praeus, qui tempore praecedente in compostellana ecclesia moribus et scientia fulget, metropolitano sublimatus honore, homelita beatissimum confessorem Isidorum Christi legiferum et post apostolos Christi apostolum elegant stilo testatus est. Martinus etiam dictus legionensis ciuitatis archidiaconus uenerabilis largitate, consilio et prudentia, inter cetera sic metrice scribendo notauit: «Sancte Dei praeus Isidore, lux Legionibus et pauperiae splendens, custos pastorque fidelis, digne recordationis». Praeterea uerecundus archileulta eiusdem nobilitate... et honestate serenus, ad praecipui confessoris decorem, in suis carminibus ait: «Roma nouit hunc pastorem, confessorum confessorem; hunc satetur optimum».

Sufficient nobis ad praesens tantorum istorum tanta ueneratione aliqua testimonia et Dei Filium mirabilem in Sancto suo Isidoro quaelibet humana dignitas... praeconis fateatur, ut sibi acquirere ualeant brauium retributionis aeternae, sanctaque posteris imitationis relinquant exempla. Et si quid eis displicerit praeumptione nostra, audacia uel pugillari indocto, eo totum indulgent cuncta supplico; orent ut Deus ignoscat quo tanti episcopi Isidori opera fragranti amore carius tenetur amplecti.

Me igitur ad proposita redeundo ad laudem Christi nominis et ecclesiae decore, infideliumque confusione, ut resipiscant ab operibus ignorantiae ac conuertantur ad uitam ueritatis et uiuant...; de meritis ac patrociniis confessoris confissus, miracula quae per eum Dominus operatur cohidie ueritatis calamo breuiter et fideliter pro modulo prosequar, Domino annuente.

4. Nunc vero miracula nonnulla afferamus, quibus cultus et gloria Sancti Isidori plurimum viguit et undique terrarum peregrini Legionem, ad episcopi hispalensis sepulcrum frequentes advecti sunt. Est qui Sancti Isidori miraculorum librum ad aurea legenda referat⁷, ad quae pertinet lepidus ille liber, qui «Florellas de San Francisco» inscribitur. Est litterarum genus minime dignandum, in quo pulcherrima veritati permixta sunt. Ergo non omnia in eo genere ficta et mendosa, sed poëtica et pulchra et saepe vera. Sed jam miraculum legamus.

5. Qualiter corpus beati Isidori Legionem intrans sanavit caecum quendam⁸.

Cluitatem ingredienti uiri apostolici corpore, facta est uox exultationis et laetitia magna in populo: nam quidam caecus, nomine Eusebius, cum, fide praeambula, nihil haesitans, feretrum sanctissimi corporis tetigisset, luminis integratatem recepit, quo

7. Ita, exempli gratia, JULIUS PÉREZ LLAMAZARES in praefatione operis cui titulus est: *Vida y milagros de San Isidoro* (León, 1924).

8. Cf. caput septimum in codice legionensi.

plebs⁹ uto miraculo, uox clarus resonat laetitiae et salutis in Ecclesia iustorum. Hoc fecit dominus Iesus primum per beatum Isidorum coram legionensibus et manifestauit gloriam sui potentissimi confessoris.

6. Qualiter infans Adefonsus caecus effectus, oculis lotis aqua beati Isidori, sanitati redditus est¹⁰.

Neque hoc silendum quod memoratus princeps Fernandus unicum habebat filium, qui nunc post patrem legionense feliciter imperium regit. Qui Adefonsus aegritudine capitum praepeditus lumine caruit oculorum; sed rex Fernandus ut regnaturum uidit post se filium tali aegritudine laborare, dolore nimio sauciatus, una cum filio se coram corpore beati confessoris projectit, atque cum lacrimis dixit: «Redde mihi filium meum Sancte Isidore, et ne patiaris post me regnaturum caecitatis tenebris deformari». Thesaurarius autem eiusdem Ecclesiae nomine Martinus, accepta aqua, quae fuerat ex illa quae ex pauplamento sui altaris (ut longe praemissum est) beatus confessor suo produxerat fugitiuo, et in vase uitreo seruabatur, oculos infantis Adefonsi abluere coepit, et continuo adeo data est illi naturalis claritas oculorum et integre recepit uisum, quod rex Fernandus ut uidit Deum in sancto suo pree gaudio uiua uoce laudare coepit et eandem ecclesiam regali munere prodigus ampliauit.

7. Qualiter B. Isidorus mirabiliter dedit sapientiam B. Martino canonico sui monasterii, mediante paruo libro, quem ipsum deuorare compulit¹¹.

Eodem tempore uenerabilis uite Martinus presbyter, canonicus eiusdem monasterii, quem paulo ante superius memoraui, intellectu Scripturarum interno fere idiota, sed uirtutum operibus sapientissime florebat insignis. Hic, quamvis esset ecclasiasticis officiis doctus, et ut dictum est, internum Scripturarum non caperet intellectum, tamquam ille qui grammaticorum scholas unquam minime frequentauerat, tamen inhierat¹² ei intelligendi sacras Scripturas summum desiderium, et orationibus et letanis insistebat, seruiens Domino die ac nocte in spiritu ueritatis (*Luc. II*). Sed dum nocte quadam per uigil orationi insisteret, apparuit ei beatus doctor Isidorus ferens paruulum librum in manibus et dixit ei: «Accipe hunc, dilecte mi, et comedere; et dabit tibi Dominus sacrarum scientiarum Scripturarum, quia fidelis et iustus inuentus es in domo eius (*Math. XXV*). Obtinui etiam a Domino Iesu Christo ut accipias quidquid a Deo petieris (*Io. XVI*); et eris consocius miraculorum, quae Dominus per me in hac Ecclesia operatur. Ego sum Isidorus huius loci patronus, et ea quae te Spiritus Sanctus docuerit studebis in gloriam Christi nominis propinare».

Martinus autem, ut erat columbinæ simplicitatis, uerebatur comedere librum, ne forte tali cibo regulare letanum solueretur. Tunc sanctus confessor accipiens mentum ejus, librum eum compulit deuorare, et ita inflammatus est totus, ut sibi uideretur quod esset quasi ferrum candens in igne. Quo peracto, sanctus qui ei loquebatur, disparuit. Ab illa igitur die ita Sanctorum Scripturarum floruit intellectu, ut quosque magistros theologos superaret, cum eis de sacris quaestionibus conferendo. Iudaici quoque et haereticci non poterant resistere sapientiae ejus et spiritui qui loquebatur

9. In codice apparet haec correctio postea inducta: «a plebe».

10. Cf. caput XLII in codice legionensi.

11. Cf. Caput LII in codice legionensi; Migne, PL 208, 10.

12. Ita in codice legionensi pro «inerat».

(Act. VI). Mirabantur omnes super doctrina eius (*Matth. XXII*), cum praedicans inter sapientes diserta latinitate uerbis positis proponeret uerbum Dei. Stupebant cuncti qui noverant eum, quoniam ultimo fracto senio data fuerat tanta scientia Scripturarum. Data est etiam illi gratia curationum (*I Cor. XI*) et spiritu propheticō quaedam futura subtiliter praeuidere. Praeterea duo nimiae magnitudinis uolumina edidit, quae *Concordia* nominantur, eo quod in eis concordent auctoritates Noui et Veteris Testamenti, et sanctorum Patrum sententiae compilentur. In his uoluminibus obscura Scripturae sacrae clarius reserantur, fides catholica roboratur, Iudeorum perfidia confutatur, singulatim omnes haereses expugnantur, et quidquid honestatis est, Scripturae testimonialis daclaratur, et suauitate benignissima suadetur, adeo ut inter doctores Ecclesiae Christi merito hic Martinus debeat computari. Cuius uita, sanctitas et miracula ut pateant fidelibus manifeste, ad gloriam nominis Christi et confessoris eius Isidori laudem aliquam prosequamur, ab ipsius exordio narrationis ordinem assumentes.

8. Satis sit de miraculis Sancti Isidori.

Sed cur haec miracula in plagulis horum commentariorum edenda censuimus?

Primo ut lectorum animi suaviter ad Annum Isidorianum traherentur.

Etiam ut memoriam revocaremus illius libri «de miraculis», qui paucis ante saeculis in deliciis erat piis hominibus¹³, legionensibus praesertim, qui magno studio, amore, laudibus, Sanctissimi viri Isidori miracula prosequabantur et religiose celebrabant.

Tertio ut ob linguae latinae elegantiam et cultum ansam admiracioni praeberemus iis qui barbarum omnino tempus illud autumant quo «liber de miraculis» scriptus est. Non igitur inter barbaros scriptores computandus Lucas Tudensis, qui anno MCCXXIII tam clarum exemplum linguae latinae nobis praebuit. Nec Tudensis fuit unus qui saeculo XIII lingua latina apprime optimeque usus est. Scriptores fuerunt ea tempestate non spernendi plures, ut, exempli gratia, Sanctus Bernardus Claravallensis (1090-1153), Sanctus Bonaventura (1221-1274), Sanctus Albertus Magnus (1206-1280).

Tandem ut votum hoc exprimere mihi liceat: Si scriptor libri de miraculis non modo non est barbarus et incultus, sed clarus et elegans, opus quod nondum latine editum vidimus, nonne cito edatur oportet ad scriptoris nomen evulgandum et ad gloriam Sti. Isidori ubique terrarum firmandam?

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

13. Cf. ea quae diximus in notula prima. Sunt, praeter interpretationem Joannis de Robles Salmanticae anno MDXXV editam, duae saltem interpretationes seu translationes in linguam hispanicam illius operis Lucae Tudensis «De miraculis Sancti Isidori», altera quae anno MDCCXXXII Salmanticae prodit a JOSEPHO MANZANO subscripta, altera vero Legione typis mandata, quam saepe laudatus JULIUS PÉREZ LLAMAZARES edendam curavit (*D. Lucas de Tuy, milagros de S. Isidoro, con prólogo y notas por D. JULIO PÉREZ LLAMAZARES* (León, 1947)).

DE ANTIQUA LOGICA

Origines artis logicae licet universe ignorentur, tamen scientia ex Indiae regionibus in Asiam Minorem et in Graeciam accessisse videtur; certo solum ex antiquis libris, qui ad nostram aetatem pervenerunt, fundamenta antiquae logicae percipere possumus; primus veterum philosophorum auctor integer est Plato (427-347), cuius e scriptis complures notitiae quae ad logicam pertinent facile est etiam nunc colligere; philosophia ipsa tum tribus partibus constabat: physiologā, disciplinā morum, rationaliter disserendo; et haec ipsa logica, quae olim triplex ars exstitit: *prima* certe fuit ea quae in Platonis Academia colebatur et ab Aristotele in libro qui «Topica» dicitur collecta est; in his «Topicis» plus quam 240 praecepta inveniuntur, quae tamquam argumenta in primo loco praemissarum ut propositiones ponuntur; sine illis argumentis vel praeceptis universalibus nulla conclusio probabilis fieri potest. Haec erat prima logica propositionum; *altera* logica antiqua non propositionum, sed vocum simplicium, ab Aristotele ipso in Peripato exculta et libris «Organis» —quod ita vocatur— evoluta, maxime disciplinam syllogismorum continet, qui undeviginti modis componuntur; *tertia* forma logicae a Chrysippo Stoico structa est quae axiomatibus quinque vel septem indemonstrabilibus nitebatur et logica propositionum appellatur; haec logica Stoicorum ab Aristotele pendens quamquam brevissima, tamen omnium fertilissima fuit. Antiqua logica non tam ampla neque tam copiosa erat quam logica philosophorum nostrae aetatis; etsi permultas definitiones et divisiones continebat, tamen hujusmodi regulae utiles ad mentem exercendam et acuendam erant. Illa logica semper in disciplina grammaticae sermonis patrii nitebatur; nam sine grammatica quae et ipsa logice composita est, nulla scientia logica exprimi neque doceri potest. Stoici numquam illa Academiae Platonicae Topica ab Aristotele proposita et propagata tetigerunt neque umquam Aristotelis propriam syllogismorum formam adhibuerunt. Philosophi Peripatetici autem, qui post Christum natum scripserunt, et Aristotelis et Stoicorum logicam affectabant¹.

Jam ad singulos convertamur philosophos, quorum pauci ante Platonem de logica scripserunt.

Cyrenaici Aristippo auctore (c. 435-350) quaestiones logicas tractabant (DIOGENES LAERT. 2, 92).

Euclides Megarensis (c. 400 a. Ch. n.) arti dialecticae maxime studuit (DL 2, 106-107).

1. Cfr. PALAESTRA LATINA, 1960, n 171, pg. 136-138.

Clinomachus Thurius, discipulus Euclidis, de propositionibus egit, quae ratione produci solent (DL 2, 112).

Eubulides Milesius eundem Euclidem secutus, qui multas subtilitates dialecticas investigavit (DL 2, 108).

Diodorus deinde, Eubulidis auditor, dialecticus fuit ac «problemata» logica solvit (DL 2, 111).

Plato ipse (427-347) Socratem audivit, qui Athenis cum juvenibus colloquens quaestiones ponebat et disputando veritates assequi studebat; eādem viā Socraticā Plato in Academia usus est, ubi dialogos forma colloquiorum adhibita more dialectico composuit.

Speusippus (c. 400-339) filius sororis Platonis Academiam ab anno 347 ad a. 339 rexit et logica studia fecit de notione quae «*hómoia*» vocatur.

Aristoteles (384-322) vero princeps scriptorum judicari debet, qui artem logicae composuerunt; ille quidem ut in multis scientiis ita in logica libros quoque priorum auctorum legit et eas partes excerptis, quae ad disciplinam dialecticae spectant; praeterea Peripati sodales ad res logicas colligendas aptos admonuit, ut materiam philosophiae rationalis ubique quaererent, quam denique ipse in ordinem redegit et exemplis illustravit. Jure igitur Stagirita magis administrator quam conditor antiquae logicae duci potest; rerum enim naturalium peritissimus observationibus et experimentis etiam logicae regulas stabilivit (cf. DL 5, 28-29).

Omnis ii, qui temporibus antiquis *Aristotelis* scripta interpretabantur, etiam ad Organon, compositionem librorum logicorum Stagiritae, incubuerunt; nomina vero horum interpretum minimam saltem partem innotuerunt.

Theophrastus (c. 370-286), clarissimus Aristotelis discipulus et successor scholae Peripati regendae, potius interpres et emendator doctrinae logicae aliarumque artium magistri fuit ejusque praecipua placita tradere feliciter prosecutus est.

Strato Lampsacenus (c. 270) (successor Theophrasti) Peripati scholam rexit et maxime rebus physicis observandis operam dedit; sed etiam logicam coluit, sicut officia rectoris postularunt.

Heraclides Ponticus (c. 360-c. 325), qui in philosophis Academicis numeratur, de arte dialectica complures libros confecit (DL 5, 88-89).

Stilpon (c. 320) Megarensis arte inventiendi et disputandi valde praestitit; multos aequales, qui dialecticae studebant, permovit ut se sectarentur (cf. DIOG. LAERT. 2, 113).

Epicurus (342-271) Atheniensis, qui sectam Epicureorum condidit, artem logicae neque aestimavit neque coluit (DL 10, 31); aequo ac magister discipuli priores dialecticam spreverunt; «rationalem (partem philosophiae = logicam) removerunt» (SENECA, epist. 89, 11).

Arcesilaus (c. 316-240) ortus ex oppido Pitane in Aeolia ad dialecticam valde animum adjecit (DL 4, 33).

Philetas Cous (c. 320 - c. 270) grammaticus et poëta nobilis fuit; quia maximā corporis debilitate erat, carmen illudens in illum Philetam ab aliquo ignoto viro ita factum est (cf. ATHENAEUS, lib. 9, pg. 401 E):

Ἐεῖνε, Φιλήτας εἰμί. λόγων ὁ φευδομένος με .

ώλεσε καὶ λεκτῶν φροντίδες ἐσπέριοι.

•Hospes! Philetas sum; ex sophismatibus illud quod •mendax• vocatur, me

perdidit, et cogitationes vespertinae de judiciis dicibilibus (me perdi-
derunt)».

Non solum Athenis, sed etiam Alexandriae logica Stoicorum studiose tradebatur, ut ex *Callimachi* (305-240) versu cognosci potest: *κοῖα συνῆπται* (sc. αξιώματα) (cf. R. PFEIFFER, CALLIMACHUS 1 (1949) 323 fr. 393, 3) quod latine ita transfertur: «quales propositiones inter se conexae sunt?»; his verbis implicatio materialis Diodori Croni stoici significari videtur.

Zeno Stoicus (c. 300) ex oppido Citio in insula Cypro scholam Stoico-
rum constituit et summopere dialecticae studuit (DL 7, 25).

Chrysippus (282-209), Zenonis discipulus, quasi fundamentum et logicae Stoicae fuit atque 311 scripta dialectica composuit (DL 7, 189-198).

Ariston (c. 240) quamquam Stoicus erat, tamen logicam aspernatus est (DL 7, 160-161).

Aelius Stilo Praeconinus (c. 150-c. 80) grammaticus fuit et Stoicae scholae assecula; Varronem et Ciceronem litteras docuit (cf. CICERO, Brutus 205-207); scripsit librum «De proloquiis» id est: de propositionibus; quod opus cum Chrysippi scripto περὶ ἀξιωμάτων consensisse videtur (cf. GELLIUS 16, 8, 1).

Posidonius (c. 135 - c. 51) Rhodius, philosophus Stoicus, qui «Aristote-
lizon» (= more Aristoteleo philosophans) a Strabone habebatur, ut de tota
fere philosophia ita de logica cogitavit et scripsit, ut e Caleni introductione
dialectica percipi potest; non semper cum Stoicorum logica consensit Posi-
donius.

Diodotus (c. 135-58) Stoicus, homo eruditissimus, Ciceronem jam pue-
rūm litteris instituisse videtur; ab anno 85 in Ciceronis domo usque ad
mortem (anno 58) vixit; viginti fere annos dialecticam Ciceronem docuit in
eaque exercuit.

Varro (116-27) est primus auctor romanus, qui de logica Stoica copio-
sissime disseruit; nam erat πολυγραφώτατος (CICERO, Ad Att. 13, 18, 2); πολυ-
χειρότατος (DIONYSIUS HALICARNASSENSIS, Antiquitates 2, 21); βιβλιαχώτατος
(PLUTARCHUS, Vita Romuli, 12); vir Romanorum eruditissimus (QUINTILIANUS
10, 1, 95); accuratissime doctus (APULEJUS, Apologia 42); vir doctissimus un-
decumque (TERENTIANUS MAURUS, 6, 409 K in Corp. Gram. Lat.). Varro ut
logicus commemoratur apud Ciceronem, Senecam, Quintilianum, Gellium,
Apulejum, Augustinum, Martianum Capellam, Cassiodorum, Isidorum His-
panum.

Philodenus Gadarensis ex Koile Syria (c. 110 - c. 40), Epicureus Romam circa a. 75 venit et cum Sirone Epicureo dogmata Epicuri propagavit; erat discipulus Zenonis Sidonii (c. 150 - c. 75) Epicurei; Philodemus librum scripsit «de signis et significationibus» qui ad logicam spectat. Lucretius poëta eum in regione Puteolorum cognovisse posse videtur.

Cicero (106-43) solummodo logicae Stoicorum operam navavit, qui una cum Varrone eundem magistrum philosophiae habuit Antiochum Ascalonitam Academicum et quasi Stoicum; praeterea Cicero totus pendet a Stoico Diodoto (a. 58 mortuo).

Andronicus Rhodius (c. 70) qui omnia scripta Aristotelis servavit et ordinavit et ab operibus Theophrasti segregavit, etiam ipse de rebus logicae Athenis disputavit.

Dionysius Halicarnassensis (c. 60 a. Chr. n. - c. 10 p. Chr n.) scholae Aristotelis adhaerens etiam Stoicos cognovit, quorum logicam in scriptis rhetoriciis obiter tetigit modumque dicendi vituperavit.

Seneca philosophus (1-65 p. Chr. n.) in epistula 89, 17 haec affert: «dialectice in duas partes dividitur: in verba et significationes, id est: in res, quae dicuntur, et vocabula, quibus dicuntur; ingens deinde sequitur utriusque divisio». In his verbis «res» significant «pragmata vel tynchanonta» (eventus = sucesos); «vocabula» sunt nomina et verba, quibus propositiones componuntur.

Quintilianus (35-110) «Institutionem Oratoriam» composuit, in qua grammatica et logica partes fundamentorum eloquentiae recognoscuntur; in opere illo complura vestigia logicae Stoicae inveniuntur.

Apulejus (113 - c. 180) Madaurensis Africanus librum «Perihermenetas» scripsisse fertur, quo tota logica Stoicorum explanatur; veri autem multo similius est hoc opusculum ab auctore quarti vel quinti saeculi factum esse.

Gellius (c. 125 - c. 175) 16, 8, 1-17 utilissimum caput de dialectica Stoicorum exhibit.

Quorum fundamentum logicae est *axioma*, quod latine «protatum, proloquum, pronuntiatum» redditur; hodie «propositio» vocatur; prima igitur pars introductionis dialecticae agit de propositione, qua rei condicio vel eventum (*suceso, Sachverhalt*) exprimitur; *axioma* est *res* (*suceso, pragma, Sachverhalt*) *dicibilis* (= *lektón*) *perfecta*, quae pronuntiari potest quantum de re ipsa agitur (non de pronunciatione hujus rei). Gellius (16, 8, 4) ex libris graecis notionem «*axioma*» satis raptim sumpsit et definivit illud esse *lektón*; haec tamen sententia Gelli nequit accipi; neque enim *axioma* idem est ac *lektón*; immo *lektón* est cogitatum tantum et principium et fons axiomatis; sine hoc fonte illius *lektón*, quod *judicium mentis* de re vera aut falsa est, nequaquam *axioma* oriri potest sicut sine patre nullo filius gigni potest; pater autem non est idem ac filius; ergo *lektón* non est idem atque *axioma*; accedit quod pater natura prior est quam filius; item *lektón* natura prius est quam *axioma*; istud *axioma* vero ita fit, ut *lektón* in mente inclusum et ad actionem externam promptum ab animo principio (ab *hegemoniko spiritu*) ex mente solvatur et in linguae cursum dirigatur; postquam *lektón* e mentis vinculis liberatum neque jam in arce mentis retentum est, *lektón* in *axioma*, id est: in dictum orale commutatum

est; *lektion* igitur est cogitatum et *judicium mentis* incorporeum, non aspectabile; *axioma* contra est enuntiatum et *judicium orale*, audibile, visible. Jam propositionis exemplar affirmativum est hoc:

•*Scipio Numantiam delevit*; adest *subjectum* (= *propositio*) •*Scipio*, et *praedicatum* (= *ka-togorema*) •*delevit* (Numantiam); exemplar negativum est hoc:

•neque bonum est voluptas neque malum.

Gellius addit: •plena aīque perfecta verborum sententia. (est *axioma*), ut id necesse sit aut verum aut falsum esse. Solita forma propositionis est perfecta (= *autotelēs*), quae simul *subjectum* et *praedicatum* continet; Gellius non commemorat formam imperfectam (= *ellipsis*), quae *subjecto* non expresso solum *praedicatum* exhibet. Divisio deinceps propositionis in hoc modo fit: *Primo* inventur •*adjunctum*, vel •*conexum* (*axioma*), quod Graeci συνηγμένον dicunt et hodie •*implicatio materialis*, vocatur, quia conjunctione *Si* incipitur; en haec exempla:

•*Si Plato ambulat, Plato movetur*. •*Si dies est, sol super terras est*.

Deinde additur •*conjectum*, vel •*copulatum* (*axioma*), quod Graeci συμπεπλεγμένον dicunt, quia conjunctione *ET* propositiones inter se conjunguntur; ecce exemplum;

•*Scipio... et bis consul fuit et triumphavit et censura functus est...*.

Porro sequitur •*disjunctum* (*axioma*), quod Graeci διεζευγμένον ἀξίωμα dicunt, quia conjunctione •*AUT-AUT*, disjungitur vel distinguuntur; est alternatio exclusiva; ecce exemplum:

•*Aut malum est voluptas aut bonum aut neque bonum neque malum est*.

Postremo ibi legitur •*disjunctum mendacium*, quod Graeci παραδεξευμένον dicunt; sed explicatio Gellii non tam facile perspicitur; conjunctione •*VEL-VEL*, *axioma* disjungitur; est alternatio inclusiva, quam contra Gellium eisdem sic illustro:

•*vel curris vel ambulas vel stas*.

Lucianus (125-192) Samosatensis (prope Euphratem flumen natus) sophista judicari potest, qui vitae formas aequalium sollerter descripsit; multas philosophorum res notionesque strinxit ac logicam cognovit, ut ex ejus libris elucet.

Galenus Pergamenus (129 - c. 205) logicam valde dilexit adulescens ab optimis doctoribus plurium scholarum hac philosophia rationali edoctus; primo de demonstratione quindecim libros confecit; senex introductionem in dialecticam exaravit, quae ad tempora nostra pervenit.

Appelles, discipulus Marcionis theologi, (c. 170 p. Chr. n.) formā syllogismorum Aristotelis adhibitā quaestiones theologicas 38 libris tractavit; nam arte dialecticā maxime excultus modum Peripateticum •*syllogizandi* adhibuit, qui aptior ad legendum videtur.

Lucanus quoque ejusdem Marcionis assecula institutus Peripateticorum logicam doctrinam theologiae Marcionis modo Aristotelico defendit

Alexander Aphrodisiensis (c. 200) Peripateticae scholae Atheniensis rector commentariis Aristotelis opera illustravit; In ejus logicae explicatione etiam elementa Stoica reperiuntur; nam Stoicorum doctrina post Christum natum illum Peripateticum ratiocinandi morem superaverat.

Sextus Empiricus natus in urbe Tarse (Ciciliae) (circa annum 200) medicus et philosophus scepticus •*Contra Mathematicos*, scripsit, ubi doctrinas septem fere artium liberalium refutare conatur, inter quas etiam contra logi-

cos disceptat; imprimitis in logicam Stoicorum invadit, ex qua nihilo secius vera eorum doctrina restituī potest.

Clemens Alexandrinus (150 - c. 216) rationem cunctam septem artium liberalium circumscripsit opere, quod «stromateis» (*stragula*, *tapices*) inscribitur; cuius in octavo libro logica Stoicorum adumbratur.

Origenes (185-254) Alexandrinus, auditor Clementis, vir eruditissimus, christianus, plurimos auctores antiquos legit, cognovit, memoriā tenuit; etiam in schola, quam Alexandriae posteaque Caesareae (in Palaestina) habuit, philosophiam et Stoicorum praecepta cogitandi tradidit.

Diogenes Laërtius (c. 250) in «Vitis clarorum philosophorum» libro 7, 69 ubi Zenonem Stoicum explicavit, logicam Stoicorum clare descriptis; magni momenti videtur esse eodem fere tempore ineunte tertio saeculo p. Chr. n. Stoicorum dialecticam prolixe a duobus viris: Sexto Empirico et Diogene Laërtio expositam esse, unde efficitur hanc doctrinam Stoicam tum unicam logicam valuisse.

Plotinus (205-269) Neoplatonicus etsi notiones nonnullas ad logicam spectantes affert, hanc tamen partem philosophiae contemnit et potissimum metaphysicis quaestionibus absorbetur.

Porphyrius (233-305) Tyrius, discipulus Longini Atheniensis et Plotini Aegyptii, vir maximo ingenio et judicio acutissimo praeditus de logica quoque meritus est; nam introductionem in Aristotelis notiones praedicabilium exaravit, quae «Isagoge» inscribitur et summe laudanda est.

Jamblichus (c. 250 - c. 335) ex oppido Chalcide in Coele Syria, Porphyrii discipulus, etsi mysticismo notus tamen philosophiae rationali studuit et de quaestionibus logicis egit; auditor Jamblichi fuit Hierius qui de syllogismis Aristotelis pariter atque magister judicavit.

Eusebius (c. 263-339) natus Caesareae (in Palaestina), ubi Origenes bibliothecam amplissimam formaverat, olim servus magistri Pamphili, postea sacerdos et episcopus Caesareae factus Historiam Ecclesiasticam summi momenti composuit, ubi non pauca testimonia vitae philosophiae insunt etiam ad logicam convenientia. *Eusebius* in «Historia Ecclesiastica» 5, 28 narrat homines religiosos anno 200 p. Chr. n. de his rebus disseruisse: si quis propositionem e Biblia Sacra sumptam protulisset, utrum conclusio conjunctiva (*συμπεπλεγμένον* = implicatio materialis, *si - tunc*), an conclusio disjunctiva (*διεξευγμένον* = alternatio exclusiva, *aut - aut*) adhibenda esset; quae disputatio pertinet ad logicam Stoicam.

Hierius (c. 280) discipulus Jamblichi et magister Maximi Thaumaturgi, amici imperatoris Juliani (361-363) de syllogismis Aristotelis egit (cfr. **AMMONIUS**; *commentarium in Aristot. Analytica Priora IV* 6 pg. 31 16 WALLIES).

Marius Victorinus (c. 300 - c. 362) fuit Africanus grammaticus et philosophus; Stoicorum logicam ad Ciceronis interpretationem adhibuit, ut ex Victorini commentario ad scripta Tullii philosopha patet; maxime Augusti-

nus philosophans magno fructu laboribus Marii Victorini Neoplatonici usus est. Christianus factus ille Marius Victorinus Romae mortuus est.

Maximus Thaumaturgus (300-370) Neoplatonicus commentarium in Aristotelis *Categorias* composuit; de secunda et tertia figura syllogismorum Aristotelis opinionem contra Themistium Peripateticum aliter sententem protulit; imperator Julianus, amicus Maximi, decrevit ut sententia Maximi sola valeret et Themistii vetaretur.

Themistius (c. 320 - c. 390) Peripateticus eloquentissimus in urbibus Nicomedia, Roma, Constantinopolit philosophiam tradidit et Platonis Aristotelisque opera explicavit, inter quae concordem doctrinam constituere volebat; Themistii syllogismorum Aristotelis interpretationem imperator Julianus injuriā vetuit.

Gregorius Nazianzenus (c. 328-390) mentionem syllagismorum Aristotelis et Chrysippi fecit eo loco, ubi Plato, Peripatus, Chrysippus, Stoa affruntur (MIGNE PG 35, 568 B).

Basilius (c. 330-379) quoque memorat syllogismos Aristotelis et Chrysippi Stoici (MIGNE PG 29, 516 BC), unde colligi potest etiam illos scriptores ecclesiasticos Cappadociae juvenes Athenis logicae plane studuisse.

Aelius Donatus (c. 300) grammaticus fuit ille nobilissimus, cuius discipulus illustrissimus exstitit Sanctus Hieronymus. Donatus vero testimonio est institutionem grammaticam cum elementis dialecticae conjunctam esse, ut ex ejus commentario in Terentium composito elucet ad Andriam I 1, 18; ad Eunuchum I 2, 95, 98, ad Adelphos V 8, 29.

Servius quoque grammaticus qui paulo post Donatum fuit, in commentariis ad Vergiliī «Aeneida» saepius vocabula logicae propria et sententias adduxit.

Hieronymus (c. 348-420) a Donato grammatico illo clarissimo litteris eruditus omnes artes septem liberales didicit et logicae studuit, ut ex ejus verbis elucet; logicam Stoicorum proprie laudavit (cf. H. USENER, *Epicurea*, pg. 179).

Augustinus (354-430) Africanus primo magister fuit eloquentiae, quo in munere etiam partes logicae tractare debebat, quae ad *Topica*, artem cogitata et argumenta inveniendi, pertinet; Ciceronem alacriter imitatus est, quis philosophiam Academiae colebat et Stoicorum logicae operam navabat; unde elucet etiam Augustinum pariter atque Ciceronem doctrinā logicae Stoicorum quae tunc paene sola vigebat, imbutum esse; porro Augustini, qui fertur, *Principia Dialecticae* (MIGNE PL 32, 1411) Varronis doctrinam Stoicam continent; (cf. Augustini logica apud H. USENER, *Epicurea*, fr. 242, pg. 177).

Martianus Capella in opere «Nuptiae Mercurii cum Philologiā» totum librum quartum *De Arte Dialectica* scripsit, quae in editione Teubneriana pg. 150-210 invenitur ab Adolfo Dick (Lipsiae 1925) edita.

Theodoretus (c. 393 - c. 466) Antiochenus apologiam christianam scripsit 'Ελληνικῶν θεραπευτική παθημάτων ubi Aristotelis et Chrysippi labyrinthi syllogismorum afferuntur (MIGNE PG 83, 949 C).

Proclus (412-485) Byzantinus, Diadochus et rector Academiae Platonicae Atheniensis, nobilior fuit philosophus et impendio utilior quam Plotinus Aegyptius; optime litteris philosophis instructus ab Olympiodoro logicam Aristotelis didicit; opera logicae Starigitae, quamvis difficultia lectori ad intellegendum et reminiscendum sint, tamen Proclus ille ingeniosissimus solum lectitando edidicit (cfr. MARINUS, *Vita Procli* cap. 9 fin.).

Boëthius (485-526) sedulissimam industriam in Aristotele latine reddendo et explicando posuit; ejusdem viri romani commentarii ad logicam pertinentes summi momenti ad naturam antiquae logicae per vestigandam sunt; praeter Aristotelis logicam etiam ea Stoicorum ab illo viro docto et politico tractata est.

Simplicius (c. 490-570) Neoplatonicus, natus in Cilicia, doctrinas Platonis et Aristotelis inter se concordes reddere in animo habuit; fuit unus ex septem philosophis graecis, qui jussu Justiniani imperatoris anno 529 Athenarum scholas philosophas reliquerunt et ad Persas migrarunt; reversus in Graeciam amplius non docuit, sed scripsit commentaria in Aristotelis opera et in Epicteti enchiridion; Stoicorum logica etiam Simplicio commoda fuit.

Cassiodorus (c. 490 - c. 583) eandem doctrinam de dialectica brevissime protulit ac Boëthius (MIGNE PL 70, 1167-1203).

Isidorus Hispalensis (c. 560-636) in opere «Etymologiarum» etiam dialecticam tractavit libro 2, 22 seq. (MIGNE PL 82; praeterea W. M. LINDSAY, *Bibliotheca Oxoniensis* 1912); Isidorus perinde atque Gellius *lektón* adhibuit.

Plerique igitur antiquorum philosophorum inde a Platonis tempore logicae studuerunt; Epicurei tantum qui tertio saeculo a. Chr. n. fuerunt, alieni ab arte dialecticae erant; posteriores autem Epicurei eam cognoverunt et usurparunt sed cum eruditio graeca ubique terrarum imperii romani vigebat, adulescentes septem artibus liberalibus instituebantur et sic elementa quoque logicae cognoverunt.

AEMILIUS (EMIL) ORTH

DE LUDIS GLADIATORIIS

Antiquos illos deorum cultores «sine affectione, sine misericordia» fuisse Paulus testatur (*Rom. 1, 31*) Quod praesertim dicendum est de Romanis, qui ludis gladiatoriis nomen suum et dignitatem saepissime contaminaverunt, et ad tantam progressi sunt crudelitatem, ut omnem humanitatem exuisse viderentur. Qui ludi edi coepti saeculo secundo a. Chr., postero percrebuerunt, fastigium imperatorum aetate adepti, a Constantino Christiano tandem sunt suppressi. Sed quales homines iis ludis destinari solebant? Egentes mercedis, servi recipiendae libertatis causa allecti, perditи profligati, scelerati capitи damnati, captivi potissimum, quos bella plurimos suppeditarunt. Sic exempli gratia Trajanus bello Dacico confecto L milia hominum ad ludos destinavit. Initio in sola Urbe, post vero in omnibus provinciis ludi fiebant. Tamen Graeci, natura Romanis moliores, inducendis ludis diu obstiterunt; sed cum saeculo p. Chr. altero Corinthiorum exemplum sequi vellent, Demonax philosophus exclamavit: «Primum aram Deae Misericordiae evertite».

Miseri illi ludis gladiatoriis diu exercebantur et exercitatio durissima quidem erat. Nam renitentes loris cruenta verberari et ferro carenti aduri consuerant. Nec pauci crudeli deterriti disciplina manus sibi intulere. Jam pro animi indole et corporis viribus in diversas solebant dividi classes. Alii scuto et gladio, alii parma et sica, alii denique reti et tridenti armati pugnabant. Ideo scutarii, parmati, retiarii dicebantur.

Quis vero ludorum locus? Fiebant in circis; inde «circenses». «Panem et circenses», notissima illa vulgi pigri et pessimi vox. Circus Maximus perantiquus, aedificatus a Tarquinio Prisco, a Julio Caesare et Trajano amplificatus; praeterea Circus Flaminius et Florae. Omnes autem ambitu et artificio superabat Vespasiani maphitheatum «Colosseum» lapide calcario constructum, cuius saxa quadrata ex lapicidinis Albulae prope Tibur sitae captivi Judaei apportabant. Quam molem «Colosseam» excitare coepit Vespasianus, perfecit autem anno octogesimo Titus imperator. Aedificium vere gigantēum! Magnitudo enim circuitus 527 m.; diametrorum 188 et 156; arenae 86 et 54 m. Facile capiebat xxxxv sedentium, v milia stantium. Murorum altitudo 57 m. Arena cancellis ferreis cincta, qui spectantes a bestiis defenderent. «Colosseum» tam mira arte technica erat constructum, ut vel hodie peritorum hominum excitet admirationem et tanta firmitate, ut saecula riserit. Nisi aliquae gentes romanae nobiles in lapidicinas illud vertissent, integrum nostris temporibus staret aere perennius.

Ludi a primo mane usque ad vesperam producebantur. Vespere ludos proxime praecedente gladiatores lautissime cenabant. Cui cene liberae omnibus interesse licebat. Quare multi curiosi mensas circuibant morti destinatorum, ex quibus nonnulli se cibis implebant, nonnulli vix attingebant, cum mors imminens animos stringeret. Lamentari, testamentum conficere, praetereuntibus supplicare, ut familias commiserarentur. Primo mane curribus advecti, sagis purpura tinctis bellissime vestiti et comitati, qui arma ferrent, servis ordine militari arenam circuibant. Ubi ad imperatoris podium veniunt, ad ipsum conversi levatis sublime sinistris exclamant: «Ave, imperator, morituri te salutant». Caede vere morituri cum spectantium gaudio cruentemque sitientium! Post arma probata et distributa sortiebantur quae paria inter se certarent. Solebant iisdem armis instructi pugnare; sed ad voluptatem crudelis multitudinis acuendam interdum gladiatores cum parmati, scutarios cum retiariis jubebantur certare, vel exercitatos cum minus peritis. Id omnes unice spectabant, ut suum quisque adversarium interficerent spe libertatis forte recipienda adducti.

Omnibus paratis caveisque a spectantibus occupatis initium fit carnificiae tubarum cornuumque strepitu. Summa rerum exspectatio ad desiderium. Inter spectatores mulieres et ipsae Vestales! Ut in aliis ludis ita et his cruentis inter se sponsiones faciunt. Alii cum aliis de gladiatoribus, alii de scutariis, alii de retiariis pignus ponunt. Ne autem morti destinati ex pacto clandestino forte pigri certent, juxta apponuntur lorarii, qui magnis clamoribus instimulent: «Verbera, jugula, ure». Ignavos cruento caedunt. Atque multitudo, de sponzionibus sollicita, certamen attentissime prosequitur oculis. Quare, ubi gladiator, ubi scutarius, ubi retiarius, contra quos sponderat, titubare incipit, quemlibet ictum cum clamore numerat: «Habet, hoc habet». Cum vulnere mortifero humi gladiator sternitur velut bestiae ululant. Illico servi ut Charon vel Hermes Psychopompos vestiti accurrit, malleolis frontem jacentis tundunt, sciendi cupidi, utrum vere sit mortuus an se mortuum simulet. Vae simulanti! Nam ferro candenti ad vulgi oblectamentum inuritur certaminique redditur. Libitinarii — Libitina dea Mortis erat — mortuos hamis quasi pecus ex arena extrahunt. Locum vero cruento tinctum ingesta recenti arena contegunt.

Quodsi adversarii alter alteri robore et dexteritate aequales et anceps certamen fuit, novum par succedit. En ut gladiatores locum adversarii parum protectum quaerunt, quo gladium, parmati, quo sicam defigant, verum retiarii mira arte retia agitant, quoad oppositum implicitent implicatumque interficiant. Cum quis graviter vulneratus amplius certare nequeat, abiectis armis et sinistra levata supinus expetit clementiam. Qua uti solius imperatoris erat. Solebat autem, priusquam rem decerneret, se ad spectantes convertere. Si victus fortiter pugnarat, multitudo sudaria agitabat et dígito sublime levato exclamabat: «Mitte». Tum imperator pollice sursum porrecto

petentibus indulgebat, et «missus» ex arena efferebatur. Neque tamen ei fortuna favebat. Nam ubi convaluerat, posteris ludis certare debebat, donec succumberet. Quid autem, si quis ignavia superabatur? Jam omnes bestiarum instar, quae sanguinem lambissent, pollice deorsum verso exclamabant: «Jugula». Atque imperator suo quoque pollice deorsum porrecto prostratum interfici jubebat.

Victorem omnes honorant et liberaliter nummis donant. Qui ante egens et despectus erat, subito omnibus notus et carus fit, mulierum deliciae, puellarum decus et suspirium (Juv. VI, 78-113) et in omnium ore versatur. Nonne idem hodie? Nec tempora nec homines mutantur.

Quo frequentius ludi edebantur, eo major vulgi feritas et cruoris sitis atque, cum imperatores vulgus romanum haud parum timerent, ei satis facere studebant. Ita exempli gratia Trajanus anno CVII decem milia gladiatorum in circo producendos curavit, anno CXIII duo milia et quadringentos et anno CIX novem milia et octingentos. Etsi victores libertate donavit, nos tamen ejusmodi crudelitatem perhorrescimus. Et ipse erat deorum cultor, paganus, «sine affectione, sine misericordia».

N. MANGEOT, S. J.

NOVA ET VETERA

VILLA HODIERNA⁽¹⁾

1. Hac nostra aetate omnibus, qui opificum¹ laboribus perficiendis aut negotiis perfungendis aut officinis² ministrandis operam dant, aliquot feriarum³ dies mos est tribuendi.

2. Qua feriarum quiete Joannes Gundsalvius cum uxore Elisabetha —cum et ipsi magnum negotium gerant—, quindecim dierum spatio, perfrui constituerunt. Et urbis relictâ continua permotio ne hominumque frequentia, in bellum litoris maritimi oppidulum —ubi villam habent omnibus commodis ornatam— convenerunt.

3. Jamque ad villam saepio circumunitam colloquentes acce-



1. OPIFICUM [*obrero - ouvrier - operario*]: «opifex» est 'qui opus aliquod facit: operator, fabricator, artifex' (cfr. FORCELLINI, s. v.); «operarius homo» est 'qui operam suam praebet et ideo mercennarius'; «operae» ii sunt 'quorum opera utimur ad laborem'. —Hae igitur voces saepe eadem fere significant; adhiberi etiam possunt «faber, officinator»; de his omnibus cfr. QUICHERAT, MARIANO, VALLAURI, FORCELLINI.

2. OFFICINIS [*fábrica, taller - fabrique, atelier - fabbrica*]: apud Forcel-

linium exempla scripta leges: «officina aerariorum; officina monetae, officinae armorum; officinae aerariae et chartariae», cet.

3. FERIARUM [*vacación, día de fiesta - vacation - vacanza*]: «feriae» sunt dies quibus ab opere cessamus et ideo etiam pro otio et vitae tranquillitate usurpantur (cfr. locutiones: «scholarum feriae»; «feriae aestivae»; «ferias habere»: *tener sus vacaciones*; «ferias agere»: *pasar las vacaciones*; «per ferias»: *durante las vacaciones*. —«Vacatio» est etiam cessatio ab opere:

(1) Cfr. PALAESTRAM LATINAM, 20 (1950) 210, ubi haec primum edita sunt; nunc vero parum retractantur notisque ad verba adhibita spectantibus locuplentantur.

dunt; quibus et nos in via consociamus; et data redditaque mutua salute, villaे structuram sic nobis Joannes enarrat:

«Ostium⁴ ferreum prostet quod, ut videtis, clausum est; est tamen appositum pulsabulum⁵ electricum, quod si comprimimus, tintinnabulum⁶ tinniet; aut, si vis electrica⁷ desit, ansam⁸ pulsabimus, et statim famula descendet claustrumque⁹ ostii clavi aperiet. Villa nostra haud magna sane, neque id opus. In fronte¹⁰ sunt

«Nos beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum ponimus» (CIC., *Nat. deor.* 1, 20, 53); saepe, in re militari praesertim, significat: dispensa, exención, jubilación.

4. OSTIUM [puerta (exterior) - porte - porta]: dicitur de quocumque ingressu et egressu et potissimum de prima domus janua.

5. PULSABULUM [pulsador]: «pulsabulum» me olim adhibuisse memini (cfr. *Nova et vetera —opusc.* —, p. 23), quod ex Ducangio etiam «campanam», apud scriptores posteriores, significat (PAL. LAT., 27 (1957) 32). — Attamen P. Avenarius «pressoriolum» proposuit (cfr. PAL. LAT., *ibid.* p. 30) cuius haec sunt verba:

«Ubi ad domum clausam veneris, ad dextram januae vel in media janua conspicies orbiculum, saepe osseum, quem si presseris, virtuti electricae, vel electrico fluento circuitum dederis, et campanula electrice excitata sonum et adventus tui signum dare incipiet. Is orbiculus hic dicitur a me pressoriolum». — Quod tamen «pressoriolum» Holzerio non probatur (cfr. PAL. LAT., 27 (1957) 92) aut opus non esse censem; nam «pro pressoriolo —quamvis exstet pressorium pro torculari quodam— sufficit pulsabulum». — «Pulsabulum» fortasse aptius est, neque tamen omnino «pressoriolum» rejiciendum puto.

6. TINTINNABULUM [timbre]: (cfr. PAL. LAT., 30 (1960) 219, n. 22); tintinnabuli sonitu janitores excitantur et januam adeunt.

7. VIS ELECTRICA [electricidad - electricité - electricità]: voces *electris*, *-idis*, *vis electrica*, *a*, *um* apud optimos scriptores nostra aetate vigent; neque rejicienda videntur «fluidum electricum» (ex adjetivo «fluidus») et «fluentum electricum» (P. Avenarius); ac suo loco posita —praesertim cum a rei peritis adhibentur— «electricitas, electricismus» prudenter admitti possunt; de quibus cfr. BACCI, *Lexicon*.

8. ANSA [aldaba, picaporte, llamar-dor]: cfr. «Ansa ostii est anulus ferreus ostio infixus, ad aperiendum, claudendum vel etiam pulsandum» (FORCELLINI, s. v. *ansa*). — In quibusdam lexicis inveni: «cornix, cantharus, anulus, uncinus», sed, nisi exemplis locisque scriptorum hae voces comprobentur, ab iis abstineri praestat.

9. CLAUSTRUM [cerradura]: ex iis quae apud Forcellinium et Rich exemplis habentur aptius vocabulum pro «cerradura» *claustrum* videtur; in scriptorum locis claves cum claustris saepe conjunguntur.

10. FRONTE [frontispicio, fachada]: ita Vitruvius, *Inscriptiones aliique scriptores*.

janua, fenestrae — vitris ¹¹ valvisque ¹² munitae —, maenianum ¹³ e quo in campum et in mare laetus latusque patet prospectus ¹⁴. Noctu domus ingressus, ope laternae ¹⁵ quae januae imminet, electride collustratur. Intrantibus ad laevam est triclinium, ad dexteram vero exedra ¹⁶: quae quidem commodissima sunt conclavia ¹⁷. Aliae domus partes famulis, cellae vinariae et frumentariae atque animalium cohorti destinantur. Totius aedificationis tecta multiplicis sunt generis: aliud est enim devexum ¹⁸ seu in unam tantum partem inclinatum, aliud pectenatum ¹⁹, in duas; aliud vero testudinatum ²⁰ vocatur seu in quatuor partes declive. Supra tectum fulminar ²¹ — cui annexus est ventorum index ²² — prominet. Ante villam virida-

11. VITRIS [*vidrio, cristal - verre - vetro*]: MARIANO: «vitrum vel lamina vitrea»; carminis Horatiani (3, 13, 1) memento: «O fons Bandusiae, splendidior vitro».

12. VALVIS [*ventanillo, postigo*]: «Valvae sunt ligneae fores... quibus janua aut *fenestra clauditur*»...

13. MAENIANUM [*balcón - balcon - balcone*]: dic etiam «podium»: ita Forcellini, Mariano, Card. Bacci, quos conferas.

14. PROSPECTUS [*panorama - panorama - panorama*]: Cicero (*Pro dom.*, 116) habet: «Porticus prospectu pulcherrimo».

15. LATERNA: cfr. PAL. LAT., 30 (1960) 220, n. 30.

16. EXEDRA [*salón, sala de estar, sala de visitas*]: «exedra est locus apertus in porticu vel etiam sub dio, solibus atque aéri pervius, in quo multae circum positae sellae colloquendi causa» (cfr. FORCELLINI, s. v.); dicitur etiam de quovis conclavi; et a nonnullis scribitur, ex etymo graeco, exhedra: de qua scribendi ratione cfr. PAL. LAT., 29 (1959) 147, n. 33.

17. CONCLAVIA [*sala, pieza*]: «conclave» dicitur de quacumque aedium

parte quae clavi clauditur; saepe idem sonat atque «cubiculum».

18. TECTUM DEVEXUM [*tejado inclinado en una sola dirección*]: «devexum» est 'declive, inclinatum, qui deorsum fertur'.

19. TECTUM PECTENATUM [*tejado inclinado en dos direcciones*];

20. TECTUM TESTUDINATUM [*tejado en cuatro direcciones*]: de his vocibus cfr. RICH et alia lexica.

21. FULMINAR [*pararrayos - paratonnerre - parafulmine*]: P. JOVEUS (*Alma Roma*, 11 (1924) 172) primum proposuit — dum aptius reperiretur verbum — *fulminivorum* 'quasi instrumentum fulmina vorans'; quod tamen Avenarii auribus nonnihil poëticum sonabat (*Alma R.*, 12 (1925) 29) et *fulminarem* (*perticam vel antennam*) et aptius *fulminare* solum proponebat. Cui Joveus (*Alma R.* 12 (1925) 67): «Plane confiteor quae sitam te proprius attigisse rem tuo illo fulminari, quam ipse fulminivoro meo... Quid aliud nempe exprimunt plerumque voces in *ar(e), al(e)* finitae, quam *res*, quarum intrinseca ratio, ut philosophi loquuntur, est esse ad aliud? Unde sicut *collare* vocamus rem quae ad *collum*, *tibiale* quae ad *tibiam*, *puteal* quae ad *puteum*, *calcar* quae ad *calcem*

rium²³, floribus variis coloris consitum, protenditur; pone vero est hortus²⁴ arboribus plantatus, ubi aestivo tempore jucundum est conquiescere».

4. Ubi autem exteriores villaes partes et conformatiōnēm Joannes nobis explicavit, exedram ingressi sumus, ubi domina Elisabetha²⁵ benigne nos exceptit atque ut assideremus, comiter invitavit. Deinde illa sic:

«Ad exedrae parietem tabulae pictae pendent: aliae sunt udo illitis colori-



quidni dicemus id *fulminar* quod natura sua ad fulmina ordinatur?». His sane Jovei verbis COGNASSO consentit — quem tamen sine dubio neque Joveus neque Avenarius legerant —, qui habet: «fulminaris antemna, fulminare; fulminum avensor»; MARIANO vero: «fulminum avensor». BACCI: «adversus fulmina munimentum, vel munimen; ad fulmina munimen». Ceterum de hac voce cfr. *Helmántica*, 5 (1954) 380 et PAL. LAT., 25 (1955) 152. — Dum aptiora expectamus vocabula a *fulminari* vel *fulminivoro* non recedendum censeo.

22. VENTORUM INDEX [veleta - girouette - banderuola]: MARIANO habet: «vexillum ventorum index»; cfr. MIR. *Nova et vetera* — opusculum — p. 22, ubi eandem adhibui vocem.

23. VIRIDARIUM [*jardin* - *jardin* - *giardino*]: est 'locus virentibus arboribus herbisque amoenus'.

24. HORTUS [*huerto* - *verger*, *jardin* - *orto*]: est 'locus maceria aut saepe clausus, in quo olera cibi causa coluntur; item in quo arbores, poma, flores et viriditas voluptatis causa'.

25. ELISABETHA [*Isabel* - *Elisabeth* - *Elisabetta*]: ita EGGER: «ab aliis non adjungitur postrema syllaba latina (*Elisabeth*)...» cfr. *ibidem*, vocem *Isabella*: 'Hoc nomen — *Isabella* —, Hispanorum proprium, corruptum esse videtur; dicitur enim ab *Elisabetha*, aut, sed minus probabiliter, ab *Isebel* seu *Jezabel*...».

bus²⁶, aliae aquatis²⁷ aut dilutis coloribus oleo depictae²⁸; in fronte generis nostri insigne²⁹ et parentum photographia³⁰ prostat; majorum vero atque clarorum viorum sigilla³¹ et hermae³² in angulis reconduntur; neque elegans deest horologium. Ut autem jucundior reddatur commoratio, hiemali tempore, focus seu caminus incenditur, quo totum conclave calefit. Saepe propinquitate aut amicilia nobiscum devincti in villam conveniunt, quibuscum juxta mensam in bisellio³³, in arciselliis³⁴, in cathedris³⁵ assidentes, amice colloquimur. Mensae vas florale³⁶ cum venustis

26. TABULAE PICTAE UDO ILLITIS COLORIBUS [*fresco* - *fresque* - *pittura affrescata, affresco*]: cfr. Plinium, *Nat. Hist.* 35, 7, 31 (49): «Ex omnibus coloribus cretulam amant udoque illini recusant purpurissum...». — «Opus udo illitum, pictura udo inducta» (Card. BACCI, s. v. *dipinto*). MARIANO (s. v. *pittura*) habet: «pictura muralis».

27. TABULAE PICTAE AQUATIS COLORIBUS [*acuarela* - *aquarelle* - *pittura all' acquarello*]: «tabella coloribus aqua dilutis picta».

28. TABULAE (PICTAE) DILUTIS COLORIBUS OLEO DEPICTAE [*pintura al óleo* - *peinture à l'huile* - *pittura a olio*]: ita quoque MARIANO et BACCI.

29. GENERIS INSIGNE [*blasón de familia*]: BACCI habet: «generis insigne, gentilicium insigne, gentilitatis insigne»; MARIANO: «stemmata gentilicia»; hoc tamen vocabulum (*stemma*), a Vallauri etiam propositum, minus Bacci probatur.

30. PHOTOGRAPHIA [*fotografía* - *photographie* - *fotografia*]: ita Cognasso Mariano, Tempini et alii; in lexico Bacciano non legitur *photographia*, sed «imago luce impressa, expressa; imago photographica».

31. SIGILLA [*estatuita*]: sigillum est 'parvum signum, imaguncula, statua',

cfr. MIR, *Nova et vetera —opusc.* —, p. 27 et 30.

32. HERMAE [*busto* - *buste* - *busto*]: statua sive signum, ita a Mercurio (Hermete) dictum quod statuae Mercurii ita plerumque efficiebantur, et erant ex lapide quadrato sine manibus et pedibus. Mos erat in vicis ad januas aedium habere, item... in xystis, bibliothecis, in templorum fronte ad ornatum collocare (cfr. FORCELLINI); dicitur etiam «thorax», cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 173.

33. BISELLIO [*sofá* - *sofa*]: haec fuit apud Romanos sella latior et duorum capax, quamvis unus tantum sederet in ea. Sed accipitur etiam pro sella splendida atque honesta et honoris causa praeclaris viris concedi solita (cfr. FORCELLINI); ex quibus nostro *sofá* accommodari posse videtur, cum in hac etiam nostra sella duo saltem simul sedere possint; cfr. *Nova et vetera —opusc.* —, p. 27 et 30.

34. ARCISELLIIS [*butaca* - *fauteuil* - *poltrona*]: est sella arcuata, brachialata, cfr. quae in PAL. LAT., 27 (1957) 36 de ea diximus.

35. CATHEDRIS [*sillón*]: cfr. *ibidem*.

36. VAS FLORALE [*florero* - *pot à fleurs* - *vaso a fiori*]: «floralis» est quod 'ad Floram —ita fere apud veteres— et ad flores refertur'. Vasa esse pos-

fragrantibusque floribus superstata, album³⁷ — quo totius familiæ photographiae continetur —, acta diurna³⁸ aviaeque ocularia³⁹, quibus ad legendum utitur. Aliquando cum amicis hic cafēum⁴⁰ sumimus, quod coquinaria in capide cafeario⁴¹ defert potionemque in pocillis⁴² infert».

5. Postquam exedram conspeximus, superiorem ascendimus contignationem, in qua sunt cubiculo. Portam aperit domina Elisabetha et bellum atque commodissimum cubiculum cum omnibus ornamentis⁴³, quibus opus est, appareat. In medio est lectus, quem famula cubicularia⁴⁴ composuit, deinde linteae⁴⁵ culcitaæ⁴⁶

sunt argentea, vinaria, Samia, caelata, coquinaria, escaria, cet. (ctr. FORCELLINI), ideo et *floralia*, quae et *vasa florum* dici possunt; *testa vero floralis seu testa florum* erit idem ac *maceta*, cfr. *Nova et vetera* — opusc. — p. 27-28.

37. ALBUM [*album*]: ex locis et exemplis veterum «*album*» in hunc sensum — «*album photographiarum*» — deducere possumus.

38. ACTA DIURNA [*periódico - journal - giornale*]: dic etiam «*diurna*», diarium, commentarii diurni; cfr. Mariano, Bacci; et PAL. LAT. 26 (1956) 22, n. 5.

39. OCULARIA [*anteojos, lentes*]: cfr. PAL. LAT. 26 (1956) 241, ubi quam plurima de oculariis (*vitrīs*) et similibus disputavimus.

40. CAFÉUM: cfr. PAL. LAT., 29 (1959) 39, n. 33.

41. CAPIDE CAFEARIO [*cafetera - cafetièrre - caffettiera*]: *capis*, — *id*' seu *capedo*: ita vocatur quod ex ansa vasi apposita prehendi seu capi possit; et quanquam in sacris praesertim adhibebatur, sed exempla sunt quibus et in mensis capidines adhibitae esse referuntur. Aptius mihi videtur vocabulum quam «*gemellar*», quo olim (cfr. *Nova et vetera* — opusc. —, p. 31)

usus sum. — *Cafarius* — quanquam aliter ibi scribitur — in *Alma Roma*, 1937, 12 habetur.

42. POCILLIS [*taza, tacita - tasse - tazza*]: cfr. *Nova et vetera*, p. 28-30.


43. ORNAMENTIS: «*ornamentum*» est quicquid ornat et decorum facit, hic verte: *mueblaje*; cfr. *Nova et vetera*, p. 30.

44. FAMULA CUBICULARIA [*doncella - femme à chambre*]: dic etiam: «*cubicularia, ancilla cubiculi*».

45. LINTEA [*sábana - drap de lit - lenzuolo*]: BACCI habet: «*linteum; lecti linteum; lecti linteae (i lenzuoli)*»; COGNASSO: «*linteum, linteum cubiculare*»; a Tertulliane, divo Augustino, Hieronymo aliisque «*linteamina*» (*sábanas*) adhibentur, cfr. BLAISE, *Dictionnaire latin-fr. des auteurs chrétiens*, s. v. et *Nova et vetera*, p. 27 et 30.

46. CULCITAE [*colchón - matelas - materasso*]: «*culcita*» est «*id super quod dormientes quiescimus...*; in ea lana, tomentum, plumae et alia materia inculcatur» (cfr. FORCELLINI); et «*torus*» «*est culcita quae lecto impunitur sive discubitorio sive funebri sive cenatorio*» (cfr. *Ibidem*).

imposuit, vestes stragulas⁴⁷ et opertorium⁴⁸ instravit et cum acrior erit frigoris vis plumacium⁴⁹ super addet. Juxta est mensula cubicularia ubi calcei, peniculi, matula⁵⁰, cetera recondi solent; huic imposita est lampas ejusque umbraculum. Elegans lychnuchus⁵² quatuor lampadibus instrutus e tecto pendet. Crux sancta supra lectum im-



47. VESTES STRAGULAS [*manta - couverture - coperta*]: dicitur: «stragula, stragula vestis, stragulum»; adhibetur etiam: «lodix».

48. OPERTORIUM [*cobertor - cubrecamas - couvre-lit*]: audi Senecam (*Epist. 87, 2*): «Culcita in terra jacet, ego in culcita: ex duobus paenulis altera stragulum, altera opertorium facta est».

49. PLUMACIUM [*edredón - edredon, couvre-pied*]: est culcita plena plumarum; eaque vox ad rem nostram optime aptari potest; olim «toral(e) plumeum», vel «plumeum», dixeram (cfr. *Nova et vetera*, p. 30). MARIANO habet: «stratum plumeum».

50. MATULA [*vaso de noche*]: est «vas quo excipitur saccatus corpore humor»; dicitur et «matella».

51. LAMPAS EJUSQUE UMBRACULUM [*lámpara con su pantalla*]: «Umbraculum», dixerunt Cognasso, Mariano, Zenoni, Card. Bacci («luminis, lucernae, lampadis, candelabri umbraculum», *Lexicon, s. s. paralume*), Wagner («lampadis, lucernae umbella»); quo-

rum auctoritate moveor ut *umbraculum* in hunc sensum recipiamus. Qui tamen hoc proponunt vocabulum eō tantum nituntur sensu qui ex lexicis italicis appareat: «paralume»: 'schermo di stofa, carta e sim. per attenuare la luce di una lampada e riparare gli occhi' (cfr. F. PALAZZI, *Il piccolo Pallazzi*, Milano). Attamen non defuerunt qui illud instrumentum *pantalla - abat-jour - paralume* ex alia ratione aliove sensu in latinum redderent: apud Hispanos enim vox *pantalla* ita lexica explicant: «lámina de distintas formas y materias que se coloca ante la luz para que ésta no ofenda los ojos o para dirigirla hacia donde se quiere» («Vox», *Diccionario gral. ilustrado de la lengua española*, Spes, Barcelona): ex qua extrema vocis notione vocabulum latinum finxit P. JOVEUS, qui quidem auctor fuit ut *pantalla* latine «radiaculum» redderetur; cuius audi argumenta: «Scisne etiam quid ego radiaculum appellem? Scrinium est in cella mea, ubi sub nocturnis luçubrationibus electrica illu-

minet; ac ne frigidum pavimentum corpori noceat, *teges*⁵³ sternitur, in qua pedes deponantur. Ad parietem armarium vestiarium⁵⁴ perstat ubi vestes recondantur et a pulvere et a tinea serventur. Saepe juxta cubiculum mensa comatoria⁵⁵ cum trullo, aquali, sapone⁵⁶ ceterisque apponi solet.

minor pirula⁽¹⁾, quae etsi minus potens, abunde satis libros lumine perfundit meos per quandam campanulam, ut ita dicam, pirulae superpositam, radios super me colligentem, ne in vacuum frustra dissipentur; hanc igitur campanulam radiaculum nomino» (*Alma Roma*, 12 (1925) 67). Hanc igitur vocem finxit P. Joveus ante oculos habens plurima illa vocabula quae in *-aculum*, *-culum* desinunt et locum vel etiam instrumentum significant: «cenaculum, signaculum, propugnaculum, tabernaculum, umbraculum, spectaculum, habitaculum, receptaculum», ceteraque. — *Radiaculum* igitur erit instrumentum — lamina illa chartacea, metallica — qua lux quodammodo cogitur ejusque radii in unum locum diriguntur: et ideo radiaculo lucis radii radiantur. — *Umbraculum* admittimus, neque tamen radiaculum — novum vocabulum — recipiendum putamus.

52. LYCHNUCHUS [*araña* · *lustre-lampadario*]: est instrumentum ad lychnos seu lucernas sustinendas'.

53. TEGES [*estera* · *natte*, *descente de lit* · *scendiletto*]: idem ac «storea».

54. ARMARIUM VESTIARIUM [*armario ropero*]: «armarium» est 'capsa, arca, repositorium quod altum ad parietes fere in atrio collocabatur, et in quo, vasa, nummi, libri aliaque recondebantur' (FORCELLINI, s. v.). — *Vestiarus* est 'ad reponendas vestes'; cfr.: «mensas duas, abacum unum, arcam vestiarium unam» (CATO R. R. 11).

55. MENSA COMATORIA [*tocador-table de toilette* · *tavolino de toilette*]: cfr. *Nova et vetera* — opusculum —, p. 26 et 32; «comatorius» est 'quod ad comam, ad ornatum capitis spectat', cfr. PAL. LAT. 29 (1959) 37, n. 13.

56. TRULLEO, AQUALI, SAPONE: de quibus cfr. PAL. LAT. *ibid.*, p. 36.

JOSEPHUS M.^o MIR, C. M. F.

(1) Lampadem electricam ex pīri figura pirulam appellat.

FABULA SICILIENSIS

ab Henrico Longfellow —anglice scripta—

in linguam latinam conversa

Olim, Trinacriae tenuit qui sceptra Robertus
Pontificis Summique Urbani nomine frater
Et Valemundi cui suberat tellus Alemannum.
Magnifico ornatu, famulorum equitumque caterva
Stipatus venit psalmis ut vespere adesset
Cantandis. Etenim Christi sollempne Johannis
Praecursoris erat. Rex alta sede sedebat
Cantibus intendens aures animumque superbum.
Tandem ut «Magnificat» praeit ampla voce sacerdos
Alternusque choro ceu versus saepe iterata
Haec ubi verba sonant: «Trudit de sede potentes
Exaltatque humiles», rex flectens leniter ora
Ad scribam doctum prope stantem: «Fare age», dixit
«Quid sibi verba volunt?». Sacri nil ille moratus
Vim docet eloquii. Vix ortam comprimit iram
Rex audita re frendens et murmurat: «Hercle!
Contigit hoc bene quod mihi talia seditiosa
Verba sacerdotes faciunt eaque ore latino!
Quos tamen admonitos una volo cum populo omni
Esse potestatem nullam quae pellere possit
Hoc me de regnol». Dictis quibus ira resedit.
Mox cantu modulis paribus paulo variato
Vincitur obnitens frustra crescente veterno
Nictat et oscitat et se dedit denique somno.

Rursus ut evigilat circa densissima nox est!
Sacra vaciva domus! Nec quicquam lampadis ardet
Exiguo passim nisi pauci lumine lychni
Qui lustrant spatii quantum est sub imagine sancti!
Subsilit e solio! Mirans fert lumina circum!
Cernitur haud animans! Sonitus neque fertur ad aures!

Cautus ad ostia tunc iter explorare per umbras
conatur manibus! Claustris immobile limen!
Clamat et auscultat, valvas dein tundere pugnis
Edere postremo coepit maledicta minasque
In genus humanum, sanctos omnesque Deumque
Vocibus ut muri tectumque perinde boarent
Sacricolum ac lemures streperent per scamna cachinis!

Aeditimus tandem vocum strepitusque tumultu
Percepto aure foris, templum putat esse petitum
Furibus. Arrepta lanterna accurrit et «Heus, Heus
Ecquis», clamat, «inest?». Elinguis paene furore
«Rex ego sum», reddit truculenta voce Robertus,
«Quid metuis? Jam rumpe moras! aperi mihi portam!»
Devovet aeditimus tunc verum hominem et tremebundus
Mussitat: «Ebrius est erro aut malefactor!»
Vix grandi patuit versata janua clavi
Protinus ecce fere nudus vir et emaceratus
Indigus et chlamydis capitisque carens tegumento,
Prosilit et currens recta nec lumina flectens
Labitur ex oculis haustus caligine noctis
Haud secus ac liquido vanescit in aère spectrum.
Olim Trinacriae tenuit qui sceptra Robertus
Pontificis Summique Urbani nomine frater
Et Valemundi cui suberat tellus Alemannum,
Magnifico ornatu spoliatus, vertice aperto,
Conspersusque luto, damni rabidusque pudore,
Pergit anhelus iter, venit atque ad regia tecta.
Obstrepit ante fores instar tonitrus, penetratque
Propatulum, iratus dextra laevaque ministris
Festinat patulas disiectis scandere scalas,
—Ora facum terrent tremulis exsanguia flammis—
Continuo longas rapido pede pervolat aedes
Clamoresque nihil curans vocesve sequentum,
Fulgida dum lychnis suavique halantia odore
Attonitus gressus intrans triclinia sistit.

Alter rex etenim solium regale tenebat
Eius at anello fulgens, diadema, peplo.
Ore statura nil dispar a rege Roberto,
Angelico verum totus splendore renidens.
Angelus atque fuit, cuius praesentia quainvis,

Natura tegimen fallax rumpente sublimi,
Aëra compleret radiis caelestibus omnem,
Non tamen inde poli civis cognoscitur ulli.

Rex tunc obstipuit. Torpore nec artibus uti
Nec sermone potest, solum spectare supernum
Urgetur juvenem, placidus qui sustinet ejus
Obtutum, speculans miserantis luce stupentem.
Deinde «Quis es?» quaerit, «quae causa tibi huc veniendi?»
Rettulit at sannas et magna vocē Robertus
«Rex sum», clamat, «ègo! Propriumque reposcere veni
Usurpator habet quod fraude dolisque lucratus!»
Talibus auditis convivae subsiliere
Indignabundi strinxereque ferra minaces.
Angelus at contra ridens et fronte serena
Respondit: «Non rex, sed regis eris joculator.
Tinnula et aera geres posthac et denticulata
Pallia. Funiculo ductus tibi simius adsit
Consultor. Noli famulorum spernere jussa,
Neve satellitibus servire per atria cesses!»
Tum vero properant aula depellere regem
Nec faciunt pensi quantum ille furore minetur,
Quid clamet contra, precibus nequé supplicis aures
Advertunt faciles, puerorum lecta caterva
Cum praecurrit eis, auras replentque cavillis.
Et vixdum bifores late portas reserarunt
Despondet cum rex animo, perterritus audit
Namque ferorum armatorum voces repetentum
«Vivat Rex!» mixtas horrendis risibus, altis
Quae cameris resonant iterumque iterumque recussae.

Sol jubar emisit primum vix mane secuto
Cum rex hesternas res volvens: «Somnia» dixit
«Omnia erant planē!» Subito sed vertice verso,
Instrepuit stramen, juxta durumque cubile
Pilleolum pallens et tintinnabula cernit.
Nudi circa et eum tincti nulloque colore
Surgebant muri. Simul acres haud procul inde
Audit quadrupedes angustis mandere saeptis.
Ilo simia quin, perturpis forma, recessu,
Horribilis visu, blaterans trepidansque sedebat.

Ah! non somnus erat! Quas res tantopere amarat
Versae in pulverem eae tactu cineresque jacebant.

Venere atque abierte dies Siculasque redisse
Pristina dicebant terras Saturnia regna.
Angelico imperio rumpentes horrea messes
Insula jactabat superataque torcula Baccho.
Ipse gigas clausus flammato pectore mon tis
Enceladus placide tunc est requiescere visus.
Maestus at interea tacitusque exspesque Robertus
Assuefit sorti mala quam fortuna paravit.
Vestitu ornatus balatronum versicolori
Incedit. Turbato animo terrensque tue ndo
Aure tenusque caput tonsus ritu monachorum
Aulae ludibrio pueris est atque ministris.
Nullus amicus ei nisi simius. Esuriei
Usque studet nisi sit mensae quid edule relicturn.
Non tamen est victus. Faciens iter angelus illi
Factus ut obvius est, partim per seria, partim
Inquiritque joco, firme simu atque benigne,
Vagina molli gladium ut se ferre doceret,
Rexne reapse foret, prorupit pectore ab imo
Ingentis subito vis effrenata doloris
Et capite erecto respondens voce superba
«Rex ego sum!» fremuit, «Sum rex et permaneo rex!».

Sol per signa movens jam ter compleverat orbem
Cum venere viri Siculorum regis ad aulam
Fama quisque sua generosa et stirpe cluentes.
Regnator dictum Valemundus miserat illos
Acciri Romam Papae per epistulam utrumque
In triduum sanctum curaret ut esset in Urbe.
Excepit laetans et comiter angelus omnes
Unicuique et acu pictum donavit amictum
Praetextasque addit mustelae vellere laenas
Junxit et anellos raros nitidosque lapillos.
Una deinde fretum transit redeuntibus illis
Italiae porro peragrat terras et amoenas
Hoc per eas crepitante magis laetas equitatu
Cristarum motante decus pulchrasque lacernas
Auro dumque micant calcaria, frenaque gemmis.
Ast inter famulos, gestans insignia scurræ

Vulpinisque sago caudis volitante per auras
Ecce Robertus Rex vehitur pedibus male fulto
Impositus burico multis virgisque notato,
Armos simia dum tristi premit ore caballi.
Quo via dicit eos, ubicumque per oppida ruris
Ludicra multa parant ambo risusque popello.

Maximus Antistes clangore sonante tubarum
Pendula queis dederant gratum vexilla nitorem,
Magnifico et splendore foro cunctos Petriano
Excepit. Simul amplexus et munera onusta
Gratia apostolica pretioque repleta superno
Dididit, ignorans juvenem oblectavit Olympi
Suppliciisque piis bene gratandoque peracta.
Urget iter densas per turbas scurra Robertus,
In mediumque salit coram et sic voce reclamat:
«Hic rex Sicaniae frater tuus ecce Robertus!
Nonne vides? Non dissimilem mihi qui gerit ille
Vir speciem, vafer est hoc regno fraude potitus.
An me non nosti? Respondet nulla mihi vox
In ie clamanti genitos patre nos ab eodem?»
Maximus Antistes tacitus dubitansque tuetur
Angelicam faciem fulgentem luce serena.
At Valemundus ait cum risu: «Res nova sane
Mentis in aula inopem balatronis munere fungil!»
Attonitum miserumqae statim regem properarunt
Pro Pudor! in circum fusum retrudere volgus.

Hebdomadis sanctae sollemnia praeteriere
Festa diesque ferens pulcher paschalia luxit.
Ortus erat nondum Phoebus cum tota refulsit
Urbs splendore novo quem praesens angelus illic
Emiserat. Studio mortalia pectora fervent
De Styge quod Christum vere sensere reversum
Tunc iterum. Vedit fulgorem scurra vel ipse
Insolutum diris oculis per stramina fusus.
Viribus at miris quas numquam noverat ante
Mentem perfundi sensit. Tellureque flexis
Audivit genibus Christi stridere per auram
Vestimenta poli celsam redeuntis ad arcem.

Fluxerat ad finem visendi denique tempus.
Danuvii repetit Valemundus fluminis oras

Angelus ad Siculas regis proficiscitur aedes.
Resplendent iterum terrae nitido comitatu
Trans urbes equitante Italas, intrante Salernum,
Traiciente fretum. Tandem simul atque Panormi
Ingressus muros, spatiosa regis in aula
Consedit solio, sonuit vox aerea templi
Virginis et laudes de turri ter monachorum
Ceu melior mundus peteret commercia nostro
Cum misero, jussit proprius procedere regem,
Testibus amotis nutu, soli utque fuere,
Rexne foret rursus rogat angelus. Illicet ille
Demissis oculis ad corda manusque decussans
«Tu non ignoras», inquit, «mea culpa colore
Rubrior est ostri. Concedere me patientur
Hinc in coenobium poenas ubi solvere discam
Quo lapides munita quibus via dicit ad astra
Nudatis calcem pedibus dum nova luatur!»
Angelus arrisit, roseo simul oribus implens
Emanante locum radiosis lumine totum.
Audivere etiam monachos cantare sacello
Vicino fluxa per apertam voce fenestram
Elataque viae supra strepitum atque tumultum
«Alta depositus Dominus de sede potentes
Exaltatque humiles!» Cantu vox altera sese
Confestim miscet vibrans velut unica chorda
«Angelus en ego sum! Verus tu scilicet es rex!»

Rex prope stans solium cum tolleret ecce Robertus
Lumina, solus erat. Verum signatus ut ante
Vellere distincta mustelae auroque lacerna.
A famulis genibusque innixus humili reperitur
Incensasque preces ex grato pectore fundens.

P. BENEDICTUS SCHMIDT, S. V. D.

EPISTULARUM INTER SOCIOS

COMMERCIUM

*Antonius S. R. E. Card. Bacci
Moderatoribus Commentariorum
qui PALAESTRA LATINA inscribuntur,
s. p. d.*

Commentariorum vestrorum exemplaria accepi ad me perhumaniter missa; ac plurimas vobis ex animo grates ago.

Placet autem, hac occasione data aliquid animadvertere, ac vobis de re scribere quae in vestris «Epistularum Eclogariis» legi.

Cum Praeses Foederatarum Brasiliae Civitatum, annuente suffraganteque Legumlatorum Coetu¹, decreverit novam urbem illius nationis principem condere et constituere, quae *Brasilia* vocanda esset, Brasiliensis latinitatis cultor Josephus Florentinus Marques Leite vestris in Commentariis, qui PALAESTRA LATINA inscribuntur, haec scripsit: «Patria nostra a primis jam temporibus *Brasilia* nominari latine consuevit. Nunc autem (indredibile, sed possibile factu est!) Urbs Capitalis nostra —Flumen Januarii— in eo est ut his tribus aut quattuor mensibus ad mediterraneam regionem sit migratura. Praeses autem Brasiliensis Rei Publicae novam hanc urbem, quae nunc exstruitur, Brasiliam appellare censuit (!). Qua de causa mihi in mentem venit ut proponerem mutandam veterem latinam vocem «*Brasilia*» in hanc fideliores, ut saltem nobis visa fuit, *BRASILIS*, gen. *Brasilis*; *dat.* et *abl.* *Bra-*sili; *accus.* *Brasilem* (masculini generis) quandocumque de natione tota *Bra-*silica sermo fiat.²

Mihi parcat Brasiliensis hic latinitatis doctor, si ab eo hac de re dissentire audeo. Opportunum nempe mihi videtur nomen Brasiliensis nationis immutandum non esse, cum jam antiquitus in usum sit receptum et non modo ab optimis scriptoribus, qui ab humanitate acceperunt nomen³ sed a Curia etiam Romana usurpatum sit.

Quamobrem —ut jam illustri et honorabili viro declaravi, qui perhonorifico munere fungitur Publici Oratoris liberis cum mandatis⁴ apud Apostolicam Sedem— cum de universa natione agitur, *Brasilia*, *ae*, *f.*, antiquo serva-

1. Nos Itali dicimus *Parlamento* (cfr. A. BACCI, *Lexicon vocabulorum, quae difficilium latine redduntur*, ed. III).

2. PALAESTRA LATINA, n. 172, mense decemb. a. MCMLX, p. 223-224.

3. Nobis Italis est *Umanisti* (cfr. A. BACCI, *ibidem*).

4. Italorum sermone dicitur *Ambasciatore Plenipotenziaro*.

to more, dicitur, cum vero de nova urbe illius nationis capite, aptius —ut mihi videtur— scribitur: *Brasiliapolis*, *is*, *f.*; eodem fere modo quo nomina effinguntur «Constantinopolis», «Adrianopolis» et alia. *Brasiliapolis* autem Brasiliae urbem significat, sed praecipua quadam ac principali ratione Brasiliae urbem principem indicat.

Haec, si vobis placet, in vestrorum Commentariorum paginas referatis.

Iterum valete, meique Deum precando mementote.

Datum Roma, ex Urbe Vaticana, a. d. VI cal. febr. a. MCMLXI.

CARD. A. BACCI

Eminentissimo P. Card. Antonio BACCI

Josephus M.^o Mir, C. M. F.

s. p. d.

Perlibenti animo litteras, quas nuper ad nos officiose mittere voluisti, legimus; ac dum magnopere gaudemus quod exemplaria *Palaestrae Latinae* tibi fuerunt oblectamento et voluptati, et nobis quoque pergratum fuit abs te, Eminentissime Pater, has iterum accipere litteras, quibus res nostras tibi curae esse ostendisti.

Ac de nomine *Brasiliopoli*, quod proponis, tibi prorsus assentimur, tum quia civitatum nomina —ut demonstrasti et ex tuo Lexico luculenter apparet— ita saepe funguntur nova, tum quia hoc, quod nobis exprimitur, consilium et placitum ab omnium principe latinitatis cultore romano procedit.

Omnibus superis bonis te cumulet Dominus, Eminentissime Pater, et in multos annos te servet pro Ecclesia sua in columem et superstitem; nostrisque rebus favere memento.

Scr. a. d. IV Non. Febr. a. MCMLXI, Barbastro.

Haec scripsoram cum hoc temporis punto tabellarius ad me epistulam P. Caelestis defert; in qua sententiam Jos. Florentini Marquez Leite non probat, et ex AAS., in quibus habetur: «Archidioecesis Brasiliapolitana», ipse *Brasiliopolim* (ut Neapolim) deducit. —In alio *Palaestrae Latinae* fasciculo haec edetur P. Caelestis epistula.

Andreas Avenarius, S. V. D. Joseph Mirio, C. M. F. S. D.

Satis, opinor, diu jam inter res hanc scriptoriam mensam prementes conspicor duo foliola chartacea aestivis decolorata solibus, in quibus ea scribebam verba, quae interpretans latine, quae scripta teutonice erant, ex arca propria atque inani fere prompseram. Nunc quae ita conflavi ad te et ad ceteros *Palaestrae* scriptores refero, ut vel comprobentur vestris judiciis mea, vel aptioribus vestris compensentur.

Et prima quidem earum vocum sit haec *Beton*, *Betonsteine*. Vos eas res appellatis «*hormigón*», et *hormigón armado*. Hic placuit inspicere lexicon quod VOX inscribitur abhinc tribus annis a te ad me datum. Lego: *Hormigón*: «mezcla de piedras menudas y argamasa». Argamasa in eadem Voce est «mezcla de cal, arena y agua». Memineram sane ea de re nos egisse antea, et censebam

anno superiore. Admirans vidi tres interim effluxisse annos. Habes profecto, unde existimes quantopere in senibus, saltem in sene Avenario, minuatur memoria. Quam saepe enim hoc mihi accidit, ut rem praeteritam, rem ante annos factam proximo aut certe a postremo proximo anno putem factam esse. Itaque jam adeo anni ruunt, ut antevertant senili tarditati. Ergo tu illic respondisti de «arenato», cum ego de «molito caemento» de «farina lapidea», cogitassem. Hem, quid aliud est *piedras menudas*? Sed procudamus tuum arenatum. Nanciscar «arenaticios lapides» sicut «facticios» habeo. Sic ille quidam comportari jusserset acervos «lapidum arenaticiorum» ad exstruendam ecclesiam, constructurus enim erat, ut ipse scribit et a me latine reddi postulat, *eine 10.20 m = Kirche* (*eine zehn mal zwanzig Meter = Kirche*), scilicet ecclesiam decies vicenum metrūm. Quam aliam ecclesiam censes eam esse, quam quae occupet aream ducentum metrūm quadratorum, longam metra viginti, latam decem metra?

Quo me animo legisse putas postea hoc genus: *Generator*, *Lichtanlage*, *Plattenspieler*, *Stehbildprojektor*, *Tonbandgerät*, *Filmprojektor*, *mehr Film = und Bildmaterial*? Haec ubi legi, tacite necum: Habes, inquam, in quibus latine reddendis etiam septem illi sudent sapientes. Hic te oro, ut aliquem adhibeas tuorum fratrum, qui eas novas technicasque voces refundat hispanice, quoniam si nunc ego ea conquerirere incipiam in lexicis, et annus abeat et saepe quaesiverim frustra. Tantum, ut saltem aliquid latinae versionis a me tempatum videretur haec posui: «generatorum» quidem, mutuatum a divo Ambrosio nomen. Quam nos *Anlage* hoc loco cogitamus, vos, etiam nobis noto nomine, dicitis *instalación*. *Lichtanlage* erit in Hispania *instalación de alumbrado*. Latine sibi reddi ubi quis urgeat, dicam «adductionem vel circumductionem lucis», esse vel «collocationem lumen». Ibi posui «copiam lucis», «grammophonum», «projectorium imaginum stativarum», «utensile fasciolarum soniferarum»; in votis esse «projectorium cinematographicum, plus pelicularum, plus imaginum». Nam celerius subiit, quid appellarem *Rekreationszimmer*: «diaetam recreatoriam»; quid *Porzellanmaler*: «pictorem porcellanarium»; quid *Postscheckkonto*: «postalem assignationum pecuniarum computum». Intellexi etiam nostrum *Taifun*, vestrum *tifón*, esse «typhonem». Quidam dixit se esse *Freidenker*, *librepensador*. Ego feci «affirmantem se esse religionis arbitrariae», vel «in religione suum esse», lexicographos secutus. Quaedam dixit conjugem suum cotidie esse in *Montage* (*montaje*): ego narro: hominem multum foris occupari «in instructionibus machinarum». Reddeniae erant etiam due voces judiciales quae sunt: *Gegenbeschuldigung*, *Gegenklage*. Inspectis vocabulariis gallico et hispanico existimavi esse posse «accusationem reciprocam», «retortam», «contrariam»; postremo etiam «reconventionem» non injuria condi posse, siquidem de conventione loquuntur codices, et inseparabilis praepositio *re-* retorsionem sonat vel reverberationem. Cum gaudio nunc video utramque generosam filiam latini-

tatis, Hispaniam et Italiā, illam *reconvención*, hanc *riconvenzione* proferre. Accinit etiam filia Gallia; nam Parvus LAROUSSE, jam quintum decennium comes meus, presse, uti solet, circumscribit *reconvencion* his verbis: «Demande que forme un défendeur contre celui qui en a formé une le premier contre lui et devant la même jurisdiction», hoc est: postulatio a defensore delata ad idem tribunal contra eum qui prior contra illum detulerat. Et nisi mens tam caeca fuisset, nre impulerat adire thesaurum meum antiquissimum coīnu Copiae lexicon. Nunc enim inibi lego ex ordine: «+ *reconveniens*, *reconvenio*, + *reconventio* + *reconventus*», ubi praepositis crucibus significatur vocabula recentia esse, appositiā sigla hac *Jct* juris consultos ea vocabula usurpare coepisse e latino petita fonte quo ex fonte etiam nobis, ubi opus erit, licebit haurire, veluti si quis de tabaco et fumificatione verba faciat, quemadmodum a te factum esse video in tertio *Palaestrae* hujus anni fasciculo, nuperrime edito...

Haec igitur satis multa et satis fortasse etiam molesta ad cogitandum et ad respondendum materia. Quae si tibi odiosa fuerit, identidem ipse tibi velim occinas diuturnitati silendi parem esse decere loquendi molestiam. Quantum poteris, cura ut valeas.

Tyrsirutis, ex oppido Superioris Palatinatus, X kal. oct., anno Christi 1960.

Rogatis a P Avenario responsa dantur

His quae sequuntur plagulis subtilibus Patris Avenarii quae sitis respondere conatus sum; restant, nisi fallor, quaedam vel obscuriora vel minimi momenti, quae in alium fasciculum solvenda relinquimus.

ARGAMASA - Mörtel: vocem hispanicam *argamasa* (= *cal* + *arena* + *agua*) latine «arenatum» reddidi (PAL. LAT., 27 (1957) 228); «arenatum» enim «calcem arena mixtam» significat.

HORMISÓN - Beton: cui latine respondere dixi «rudus», id est «rudus novum» quod, ut ait Forcellinius, idem valet ac «glarea (id est minutissimi lapilli), aut lateres vel saxa contusa, quae calce admixta usum habent praecipue in pavimentis» — «glarea calce admixta» —; et ideo «rudus» idem esse videtur atque «opus glarea calceque structum» (ut habet BACCI, s. v. *calcestruzzo*).

CEMENTO - Zement: «calx hydraulic» (periti enim nos monent *cemento* esse «calcem hydraulicam»). — «Lithocolla»: vox a Calonghi-Georges propria et a Bacci, Egger aliisque usurpata; cuius sensus est: quasi «liquidum gluten» (*λιθος* - *χόλλα*). — COGNASSO: «arenatum; coamentum»; MARIANO: «arenatum; intrita»; Card. BACCI: «lithocolla».

CEMENTO ARMADO - Betonsteine: «compages calce hydraulic ferroque durata; calx hydraulic et ferrum; calx hydraulic ferro commixta; commix-

tio calcis hydraulicae et ferri»: aut etiam: «lithocolla ferro conexa, durata». —COGNASSO: «coagmentum fulturis conexum»; Card. BACCI: «arenatum ferro roboratum, ferro duratum».

HORMIGÓN ARMADO: idem valet atque *cemento armado*, ut referunt lexica; efficitur enim ex «commixtione glareae, arenae, calcis ferrique».

HORMIGÓN HIDRÁULICO: «glarea, arena, calx hydraulicus»; fortasse: «calx hydraulicus rudusque».

GENERADOR - *Generator*: recte *generatorium*, a divo Ambrosio usurpatum, proposuisti, qui —in *Psalm. 118*, s. 18, 11, 2— habet: «Vulvulam impietatis generatoriumque perfidiae»: quod nos vocabulum translato sensu adhibere possumus. Romani enim vocibus in *-tor* desinentibus eos, qui actionem perficiebant, designabant, non vero instrumenta; pauca fortasse afferri possunt exempla in quibus exitus *-tor* instrumentum significat, ipseque Card. BACCI habet: «vocis propagator, vocis amplifier» (cfr. *Lexicon*, s. v. *aptoparlante*).

INSTALACIÓN DE LUZ ELÉCTRICA - *Lichtanlage*: bene latine locutus es hanc reddens vocem; sit igitur: «adductio, conductio lucis; lucis electricae collocatio»; et «luminum collocatio; lampadum electricarum collocatio» si de lampadibus collocandis praesertim sit sermo.

TOCADISCOS - *Plattenspieler*: recte vertisti «grammophonum, grammophonium»; de qua voce saepius diximus, cfr. *Vita Latina*.

PROYECTOR DE VISTAS FIJAS (DE FILMINAS) - *Stehbildprojektor*: «projectorium imaginum stativarum»; PROYECTOR DE CINE - *Filmprojektor*: «projectorium cinematographicum», («projectorium pellicularum, imaginum»). —*Projicere* adhibet divus Augustinus hoc sensu: «ante oculos ponere» (cfr. BLAISE, *Dictionnaire latin-fr. des auteurs chrét.*, Strasbourg, s. v.; quo sensus projiciendi, «ponendi, collocandi ante, procul, extra», non nihil extenditur. «Projectorius» a medicis adhibetur et est «id quod virtutem projiciendi habet»; quod si neutrum adhibemus, «projectorium» bene quadrat instrumento quod «foras projicit, quod ante oculos, in albo, imagines ponit». «Projectorium igitur cinematographicum» optime excogitasti.

SALA DE ESTAR, SALA DE RECREO - *Rekreationzimmer*: «diaeta recreatoria». —Nullibi adjectivum «rereatorius, a, um» invenio; quod tamen ut vocem quasi technicam haud pauci probabunt; qui vero renuant «diaetam quietis, recreationis, remissionis (animi)» dicant.

PINTOR EN PORCELANA - *Porzellanmaler*: «pictor percellanarius». —Primum de «porcellana»: multum sane disceptatum est de voce ejusque origine (cfr. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, ubi multa de ejus etymo invenies). Sunt qui pro porcelana «vasa sinica» dicant aut «murr(h)-ina». Dr. J. Lis (cfr. *Societas Latina*, 6 (1938) 46) *porcellanam* latine redditam, et in eadem *Societate Latina* primum propositam, in *porcillacam* substitutam voluit; qua tamen substitutione non indigemus. COGNASSO enim habet: «porcellana; argilla sinensis; porcellanae (*vasi di*)»; eadem refert MARIANO; et

VALLAURI (*Vocabulario italiano-lat.*, 1886) notulam addit quae ad rem nostram maxime pertinet: «Scaligero e Cardano dicono stoviglie di questa terra — *percellana — porcellanae, arum f. pl.*». — Accipiamus igitur *porcellanas et porcellanam* e qua, si tibi opus est, *porcellanarium* efficies pictorem tuum.

CUENTA CORRIENTE DE GIROS POSTALES - *Postcheckkonto*: P. AVENARIUS habet: «*postalis assignationum pecuniarum computus*». — Primum de voce *postalis* diuturna fuit *investigatio et controversia* — ut olim dixeram (cfr. PAL. LAT., 26 (1956) 25, ubi fontes memorantur) — eaque supersedendum, ut auctor fuit Holzer: «*Ea vocabula, quia arbitror non redatum iri, ne iterum invehere in sermonem latinum conemur*» (PAL. LAT., 27 (1957) 93). Deinde pro *Konto - cuenta corriente* habes (PAL. LAT. 27 (1957) 39): «*cottidiana computatio, computus cottidianus*» («*continuus*» — etiam «*currens*» — habet HOLZER, PAL. LAT. *ibid.* p. 94). Denique pro *cheque - Scheck* HOLZER (*Ibid.* p. 93): «*perscriptio, assignatio*». Ex quibus propositam vocem germanicam ita in *latinum converttere possumus: «cursualis computatio cottidiana perscriptive num; cursorius computus cottidianus assignationum», quae fere consonant his quae a P. Avenario sunt proposita.*

TIFÓN - Taifun: «*typhon, -onis*»; ita quoque MARIANO.

LIBREPENSADOR - Freidenker: «*qui in religione suus est, qui affirmat se esse religionis arbitriae*», optima sunt; MARIANO habet: «*non superstitionis*»; et Card. BACCI: «*liber suarum cogitationum judex; liber suarum cogitationum auctor*», cet.

MONTAJE - Montage: «*Machinarum instructio*», («*in instruendis machinis esse occupatum*»).

RECONVENCIÓN, CONTRAACUSACIÓN - Gegenbeschuldigung, gegenklage: «*iterum in jus vocatio, altera in jus vocatio*»; neque omnino displicant proposita: «*contraria, (reciproca) accusatio*», et apud juris consultos: «*reconventio*».

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

De inediae pro telo incruento et pacifico usu apud Romanos observatiuncula

A quo Mahatma Gandhi, patriae Indicae pater, a cibis potuque sese abstinentendo populum suum in libertatem vindicavit, incruenta haec certandi ratio omnibus sane innotuit. Quam rationem etiam Romanis notam fuisse epistula Eusebii Vercellensis altera demonstratur.

Eusebius ille, ab anno CCCXL ad annum CCCLXXI Vercellensis episcopus praeclarissimus, cum ab Ariomanitis haereticis cuncti generis vexationibus premeretur, Patrophilo carceris custodi suo haec scripsit:

«Qua me vi multorum et furore non solum tractum per terram, sed interdum nudato corpore supinum portastis de hoc hospitio, quod mihi per vestros et agentes in rebus dedistis, e quo numquam nisi nunc vestra violentia egressus sum, et deus scit et civitas novit nec vos hic et in futuro negare potestis.

«Ideo deo causam reservo ut, quemadmodum ipse ordinaverit, finem possit accipere. Interim me hoc decrevisse sciatis, ut ratio et in futuro et hic possit stare, in hospitio, quo me clausum tenetis, in quo me post primam portationem retrudentes crudelius ausi fuistis inde eodem modo portare et in unam cellam reicere, non panem manducaturum neque aquam bibirum, nisi ante singuli professi fueritis non solum verbo sed et manu vos non prohibituros fratres meos, qui mecum haec fidei causa libenter patiuntur, de hospitio, quo manent, necessarias escas offerre nec eos, qui me dignati fuerint requirere».

Qui sanctus vir, cum tres dies omni cibo abstinuisset, quandam tandem libertatis speciem nactus est, ut ipse narrat:

«Hi ergo vix quarta die ad hunc libellum mitigati jejunos ad hospitium, in quo manseramus, revertere nos compulerunt. Viderunt interea, quemadmodum nos revertentes populi cum gudio susceperunt».

Unde iterum est videre nihil novi esse sub sole!¹

J. IJSEWIJN-JACOBS

1. Locos attulimus hos: EUSEBIUS VERCELLensis (ed. Vincentius BULHART, in volumine IX *Corporis Christianorum*, Turnolti, 1957), Epist. II, 4. 1 - 2 (p. 106) et 6. 1 (p. 107).

Cursim notata (II)

DE VOCE «GABBARA».

Sanctus Augustinus, priscae lumen Ecclesiae, in sermone CCCLXI, 12, 12, cum de cura mortuorum apud Aegyptios loquererur, haec inter alia dixit:

«...morem enim habent siccare corpora et quasi aenea reddere».

Hoc enuntiatum in editione operum sancti episcopi Hippomensis Maurina brevis notula sequitur, quam viri docti in libris manu scriptis hucusque frustra quaesierunt. Est autem haec:

«Gabbaras ea vocant».

Patet «gabbara» vocabulo id significari, quod Plinius Senior (*Nat. Hist.* 11, 184) puriore sermone *«cadaver medicatum»*, nos vero arabica quadam voce *«mumia»* appellare solemus.

Scholium Maurinum, etsi de quo libro vetere depromptum sit planè ignoratur, genuinum tamen et ab antiquo quodam scriba traditum esse credimus.

Est enim apud Plinium in Naturali sua Historia hic locus (7, 74):

«Procerissimum hominem aetas nostra divo Claudio principe Gabbaram nomine ex Arabia adiectum novem pedum et totidem unciarum vidit».

Cujus monstri memoriam saeculo tertio C. Julius Solinus in Collectaneis rerum memorabilium isdem fere verbis repetivit (1, 1, 89):

«Postmodum divo Claudio principe Gabbaram nomine ex Arabia adiectum novem pedum et totidem unclarum».

Pro certo itaque habemus Plinium *«Gabbaram»* viri medicati Romam adiecti nomen perperam putasse, cum revera vox esset orientalis, arabica fortasse, qua quodlibet corpus siccatum indicaretur. Quod postea viris doctis romanis innotuisse videtur itaque a sancto Augustino vel ejus scriba usurpatum esse. Fieri etiam potest ut in Africa provincia, cuius Augustini etiam temporibus sermo popularis generis erat semitici, magis quam in ceteris imperii romani partibus intellectum sit quid revera *«gabbara»* vox sibi vellet.

J. IJSEWIJN-JACOBS

Ploegstraat 10.
Antwerpen (In Belgio).

PER ORBEM

Dies latinitati toto orbe dicatus. — Brasilienses, gens nova, fortis et intrepida, latinitatem humanumque cultum pro viribus tuentur et fovent. Nuper diem constituerunt latinitati toto orbe tribuendum (*dia universal da latinidade*) die 21, mense aprilii quotannis agendum. Dies constituta est a •Communione publica cultui graeco et latino fovendo (*União Nacional de Cultura greco-latina*), auctore Dre. Gerardo de Ulhoa Cintra. Quare ea dies designata est? Quod eo die et Urbs Roma, Alma Mater, orta est et Urbs Brasiliapolis a. 1960 publice et sollemniter condita. Inter Romam enim illam veterem perennemque et juvenem fortemque Brasiliam anni et tempora tantum effluxere, non animus, non mens, non ingenium, non humanus civilisque cultus. Alma Mater Roma nondum effeta est, immo fetus eosque in dies ubiores grandioresque procreare pergit.

Nescio tamen an aliarum gentium viris consilium amicorum Brasilien-sium sit probatum, quod sane omnibus et plaudendum existimo et laudibus cumulandum.

Cicero in Brasilia adhuc loquitur. — In urbe Sancti Pauli (*São Paulo*) in Brasilia erectum est memoriā Ciceronis marmoreum signum media via frequentissima, supra 3 metrorum columnam, unde —veluti e novissimis rostris— vetus ille simulque recentissimus orator jus postulet et persecutatur et defendat, hodiernos rubro colore tucatos Catilinas indicet, omnis generis tyrannidem evertat, hominibus naturae leges et officia servanda ostendat, se ipsum omnibus exemplum praebeat. Quae omnia fere cl. orator Julius da CARVALHO BARATA protulit in oratione auspicali luculentissima. Ciceronis caput aeneum —ut revera monumentum aere perennius sit— factum est et excogitatum eximio sculptore Italo Humberto GALIMBERTI POLLETTI DE ASSANDRI.

Monumentum id etiam demonstrat quantum Societas possit virorum fortium et audacium qui propositum assequi vere cupiunt. Ut res omnibus innotesceret per acta diurna, per radiophonum per televisionem nuntiarunt et propagarunt, huncque nuntium vulgari voluerunt: *Após dois mil anos, Cicero ainda é notícia* (•Post bis annorum milia Cicero novitas esse pergit•).

Columnae haec insculpta est inscriptio:

M. T. CICERONI
 SVMMO ROMANORVM
 ORATORI
 PAVLOPOLITAE
 POSVERVNT
 A. D.
 MCMLX

Qua via Hannibal exercitum Alpes trajecerit contentione magna pervestigari non ita pridem coeptum est et scriptis et factis. Quis non meminerit strenui illius elephanti «Jumbo», qui veterum congenerum vestigia, frustra tamen, est persecutus? Frustraneum iter fuit quod tempus elephanta vestigia certe deleverat. At nondum humana vestigia delevit tempus. Quibus vestigiis, «linguisticae vialis» (*linguistique routière*) ope, Hannibalis iter repeti potest. Ita censem Renatus BAILET, Canonicus Gallus. Nam in Gallia plus 50 nomina geographicā hispanicae originis indubiae inveniuntur. Quando, quo modo, a quibus haec hispanica nomina in Gallia consita sunt? Canonicus BAILET sentit ea nomina originem trahere a militibus hispanis qui, cum iter frustra cum Hannibale fecissent, sive viribus destituti, sive animo deficientes, sive aliis de causis concitati, in itinere relictī sunt ibique remanserint, ubi amicitia cum gentibus illarum regionum facta et societate, patriae memores nomina patria ibi transtulerunt. Hi milites alii Valentia, alii Barcinone, alii ex aliis regionibus Hispaniae procedebant, ut patet ex nominibus gallicis: *Valence*, *Le Valentin*, *Valença*, *Barcilonnette*, *Sélonnet* (a verbo (Bar) «celonnet» (te), *Barcelonnette-sur-l'Ubaye*, cet. Ex quibus Canonicus illustris atque eruditissimus, evinci vult Hannibalem hanc viam esse secutum: «*Le passage par Barcelonnette et le col de Larche, cet.*». Fortasse nunc clarus vir non frustra iter pertentavit. Qui ampliorem rei notitiam cupierit, adeat, si libet, commentarios quibus est index: *Bulletin de l'Association Guillaume Budé* (1960) 376 ss. «*Une Révolution sensationnelle dans l'histoire des peuples*».

De verbis quadratis. — Apud omnes constat verba quadrata quasi mysterium semper continere posse: tum praesertim cum ubique fere terrarum inveniuntur, a Britannia et ad Euphratis oras, in Gallia et in Aethiopia et in ruderibus Pompejanis. Haec verba sunt:

S	A	T	O	R
A	R	E	P	O
T	E	N	E	T
O	P	E	R	A
R	O	T	A	S

Quae verba quacumque inceperis, eadem semper legas. Si bene insperieris, invenies litteram *T* medium inter alias litteras tenere locum — qua littera *T* crux significatur —, sub singulas *T* et supra et juxta, legi litteras *A* et *O* (*Alpha* et *Omega*) — quibus Christi nomen ornatur —, omnesque litteras et solas a verbis «*Pater noster*» desumptas esse. Ex quo facile evincitur hic de quadrato christiano agi. Quo modo legendum? En implicata et perdifficilis quaestio. Ita tamen legi posse credit cl. v. Leo CROZET in commentariis supra memoratis *Bulletin...* (XIX (1960) 272 ss.: *Credo secret antique, dans un carré magique*): *SATOR A REPARATIONE OPTIMA TENET OPERA ROTAS*; ubi *SATOR* = Creator; *AREPO* legendum est *A. REP.O* quibus usitatissimis compendiariis litteris significatur *A Rep(aratione) O(ptima)*; *ROTAS* est exemplum genitivi casus in —as primae decl. Igitur quadratum haec prodit: *Creator, post reparationem optimam, fati operam detinet (Le Créatur, depuis qu'a eu lieu une restauration parfaite, retient l'action du destin)*.

Carolo Riba, poëtae eximio et humaniorum litterarum peritissimo, superiore anno vita functo, honores tributi sunt a viris barcinonensibus litteratissimis in acroasi habita, in qua Eduardus VALENTI verba fecit de «*Odysseae interpretatione catalaunica* a Carolo Riba scripta, Petrus PERICAY de Riba et Aeschylo», Joseph ALSINA de «*Sophocle et Riba*». Tandem litterarum classicarum in Universitate Barcinonensi alumni, Oedipi Regis a Carolo Riba conversam tragoediam legerunt.

II Conventus Hispanicus Studiis Classicis provehendis, assidue parari pergit. Petrus LAÍN ENTRALGO ager de scientia hellenica recenti: φύσις apud Graecos et in cosmologia Aevi Medii. Praeterea Aristophanis «*Aves*» reponentur.

Conventum magnos sane perpetuosque fructus laturum esse speramus. Immo jam protulit eumque maximum: optimi enim Societatis Hispanicae Studiis Classicis fovendis viri, cum librum: «*Antología de Historia griega*», qui Herodoti selecta continet, edidissent iis alumnis utendum qui cursum Universitati ingrediendae praevium emetiuntur, integrum editionis pretium juraque omnia Societati ipsi cesserunt... ut Congressui parando operam conferrent. Nonne dilaudanda his praesertim temporibus liberalitas tanta? Nonne ea largitas atque abstinentia humanitatis verae fructus potissimus est habendus?

Superiore anno trecentesimus actus est anniversarius ab Hispanorum pictore nato Velázquez: qui etsi latine vel graece nihil scripserit, graeca tamen et latina singulari expressit atque exornavit artificio, ut «*Vulcani fabricas*» (*la Fragua de Vulcano*), *Ebrios*, cet. Acroases saltem duae habitae sunt Matriti de «*Velázquez et Mythologia*» a Didaco ANGULO et de «*Velázquez et re classica*» a Xaverio SÁNCHEZ CANTÓN.

Apud Graecos condita est Societas Graeca litteris humanioribus prosequendis, cui nomen: Ἐλληνικὴ Ἀνθρωπιστικὴ Ἐταιρεία. Auctor Societatis et suasor est Constantinus VOURVERIS.

Hoc anno 1961, m. julio, 25 anniversarius complebitur a R. P. Emmanuel Jove occiso, qui cum conditor exstitisset Commentariorum nostrorum, virtutis christiana exemplum mirificumque in fratres caritatis specimen, morte pro Christo audacter tolerata, dedit. Spero multos *Palaestrae Latinae* scriptores assiduos et lectores multa de conditore nostro et latinitatis auctore esse prolatus.

Opus inceptum: opus Germania dignum edi coeptum est: *Mittellateinisches Wörterbuch*. Non unius viri opus est sed aliquot germanicarum et helveticarum Academiarum, auctrice Bavara scientiarum Academia et Germanica Scientiarum Berolinensi Academia. Modo tres operis fasciculos vidi quibus verba continentur quae inter litteras *A – Allium* habentur et in 320 columnas distribuuntur. De quo opere fusius in *Bibliographia*.

Aliud opus, quod sine dubio peritos in re philologica viros permovebit edidit Antonius GRIERA, nobilissimus eruditissimusque romanicarum investigationum auctor et scriptor, qui velut novus David, Saulicis Vasco-philorum sarcinis studiisque omissis, funda bacilloque romanistarum armatus linguae Vasconicae accessit ut mutum gigantem percuteret persussoque secretum extorqueret: et arbitratur se in media fronte percussisse gigantem ejusque secreta revelasse cum plane asserat (et validissimis argumentis confirmet) linguam vasconicam ope linguae latinae explicari posse et debere. Totus liber, grandioribus duobus voluminibus contentus «Vocabulario vasco, Ensayo de una interpretación...», huic rei investigandae tribuit. De libro fusius alias.

Cervaria parva sed exulta urbs... Haud parum momenti aestimo quod Cervariae, in parva ilerdensis dicionis urbe utpote 5.000 incolarum non excedat, tragedia AESCHYLI: *Choephoroi* (Χοήφοροι) a circulo «Scena», nomine decorato, acta sit et omnium spectatorum plausu excepta. Fabulae antiquae repositio in theatro hodierno et in urbecula judicium sanum, acre, politum prodit, et exultam urbem, quamvis parvam, denuntiat. Non tamen novi sunt ludi scaenici apud Cervarienses. His commodum diebus undique gentes conveniunt «Passionis», Domini videnda causa, quae et choragii magnificientia atque apparatu et exquisita actione in primis hujus generis spectaculis merito est numeranda.

Minime inutiles fuerunt Conventus Avennicus et Lugdunensis latinitati instaurandae. Immo apud Gallos et litterarum appellandarum «instauratus» modus omnibus vehementer publice commendatur et semel saltem in hebdomada loquendi latine in scholis exercitatio proponitur. Praeterea

commentarii de Physica atomica *Nucleus* summam commentationum latine scriptam edere coeperunt.

Vita functi sunt: die 9 m. augusto in urbe *Halle* cl. v. Villelmus SCHUBART, antiquitatis historiae olim in Universitate Lipsiensi emeritus doctor et egregius papyrologus, cum 88 annum agebat.

—74 aetatis annum agens Franciscus DORNSEIFF, in Universitate item Lipsiensi doctor, qui operam dederat graecis litteris, Pindaro praesertim poëtae investigando.

—die 13 m. augusto, 66 annos natus Fridericus TAEGER in Universitate Marpurgensi doctor egregius qui monumentum eximum: «*Das Altertum*, erexerat Antiquitati cognoscendae.

—Immatura morte —33 enim annum agebat— Eugenius GRASSI, in studiis papyrologicis adulescens simul et adultus.

—Lugenda quoque est mors clarissimi Quinti TOSATTI, Instituti Studiis Romanis provehendis Moderatoris, die 21 m. julio a. 1960. Cl. vir Julius ANDREOTTI de eo scripsit: «Alius amicus morte ereptus. Rei publicae peritus, litterarum studiosus, vir vere religiosus et christiana caritate maxime imbutus». In seminario clericali studia inierat, deinde cursum clericalem cum Universitate commutavit, et bello grassante, militiae nomen dedit. Vita tota Quinti TOSATTI triplicis hujus cursus et cultus vim subiit et momentum: nam christianus ubique fuit, et litteratissimus vir, et in rebus agendis maxime strenuus. Edidicerat et latine scribere et latine ore rotundo loqui.

R. I. P.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

NUNTIA VARIA PERCIPITE

Floridae. — Duos abhinc menses viri americanī scientia praestantissimi in spatum, troglodytem (*chinpancé*) «Ham» nomine, missili inclusum, altum 185 chilometrorum, projecerunt, eadem fere ratione instructum atque primus homo astrorum nauta, quem aestate ineunte, terrae orbem circumficiuntur sperant.

Troglodytes, quindecim chilogrammatum ponderis, incolumis et integer et laetus post paucas horas in medio mari receptus est.

Missili ergo americano —usu et experimento coram septem astrorum nautis probato— felix et prosper exitus contigit.

Sueciae. — Praemium «Nobel», quod singulis annis ab Academia Sueca scientiae per vestigationibus provehendis, iis qui doctrina maxime prestant tribuitur, superiore anno MCMLX duobus illustribus viris americanis donatum est:

—Physicae praemium, vir Donaldus A. Glaser, in Universitate Michigan clarus Professor, tricesimum quintum annum natus, ob ejus inventum quod «Cámera de burbujas», dicitur, assecutus est. Agitur de instrumento ad naturam et nuclei atomici vim cognoscendam destinato.

—Praemio vero chemiae clarus vir Villardus Lybby, anno aetatis quinquagesimo tertio, in Caliphorniae Universitate Professor, decoratus est. Qui vir mirum excogitavit inventum «Horologium atomicum», quo tempus seu aetas materiei organicae fossiliumque etiam hominum qui ante viginti quinque milia annorum vixerunt, constituitur.

Quod statim fieri potest, ut peritissimus vir Villardus affirmat, corpusculis illis radioactivis —carboneo 14 et tritio— quae in circumfuso aere inveniuntur.

Holmiae. — Peritis viris britannis qui in studia physica incumbunt, rudentis telephonici exstructio, sexdecim milia chilometrorum, —omnium longissimi—, commissa est. Quo sub oceani maris Pacifici aquis, Canadienses et Australianae gentes inter se conjungentur. Opus hoc medio anno MCMLXIII perficietur.

Byzantii. — A doctissimo viro Georgio F. Bas —Musei Universitatis Pensylvaniae— in Philadelphia moderatore, navis reliquiae, instrumentis et armis ex aere effectis plenae, viginti septem metra sub aquis submersae, ad litora turcica inventae sunt. Ut omnium virorum, qui in Instituto Americano rebus archaeologicis provehendis operam dant, fert opinio, navis haec saeculo decimo tertio a. Ch. natum, cum saeculum tantum ad bellum Trojanum gerendum deerat, submersa videtur.

Barcinone. — Die vicesimo quinto mensis Januarii, «Primus Aeronauticae Medicinae Cursus», cui illustrissimi et doctrina ornatissimi ab Universa Hispania adfuerunt, viri, Barcinone inaugurus est. Argumenta a Professoribus et doctissime disserta et praestanti eruditione disputata sunt, de periculis et advolandi arte, praesertim vero de mediis illis quibus cognosci licet qui homines sint, sive physiologice sive psychice, parati ut in spatiis, sine vitae periculo, ascendere possint.

Cursus a professore Arcturo Fernández, Conventus moderatore, inchoatus est; qui luculentam «De fatigacione in spatio ascendendo», habuit disputationem. Cursus die decimo tertio mensis Martii absolutus est.

BIBLIOGRAPHIA

PLINE L'ANCIEN. — *Histoire Naturelle*. Livre XXVII. Texte établi, traduit et commenté par A. Ernout. Société d'édition «Les Belles Lettres». Boulevard Raspail, 95. Paris 1959.

Hoc volumine «Naturalis Historiae» C. Plini Secundi liber XXVII continetur in eoque herbae illae describuntur — in ordinem litterarum veterum more digestae — quae ad medicinam utiles sunt vel tales ab antiquis putabantur.

Textum et gallicam conversionem — quae plane primigenii textus sensum et vim per quam apte et luculenter reddit — magna cura A. Ernout, quae sua est harum rerum peritia et cognitio, paravit et critico apparatu auxit. Opus complevit commentariis notulisque quibus res illustrantur, perpenduntur, cum altis scriptoribus conferuntur.

JACOBUS SIDERAS, C. M. F.

JACQUES PERRET. — *Virgile, «Écrivains de toujours»*, Éditions du Seuil, 1959. pag. 186.

Lectissimus vir et professor Jacobus Perret — vergilianis rebus doctissimus, latinorumque litterarum gloria cumulatus, multis usque optimis operibus admodum bene meritus, librum hunc parvum quidem mole, doctrinam tamen et eruditione vere refertum, in lucem edidit.

Inexplebili oculo — plane dicam — librum legi, perlegi, iterum iterumque volvi, et ut mea fert opinio, pauci sunt — inter ingentem ephemeridum et operum multitudinem, quae de Vergilio cottidie evulgantur —, libri qui, paucioribus paginis, tantam tamque accuratam contineant doctrinam.

Praemissis quaestionibus de Bucolicon structura quam auctor «circulaire» vocat, (p. 29-34), haec est de bucolicis Jacobi Perret sententia:

Agitur de poëmate artis pleno, nitide et elegantissime condito, id est «une des com-

positions des plus minutieusement agencées que nous ait jamais livrées la littérature» (p. 29). Quem perpolendi perficiendique laborem, quo Vergilius usus est. cl. Perret appelle «travail de vannerie».

Tanta jucunditate, tanta luminis et pulchritudinis claritudine res, pastores obvolvit Vergilius et collustravit («les bucoliques sont le poème des heures pathétiques..., le poème de midi..., tout paraît vivre» (p. 67), ut poëst bucolica homines cum natura et mundo universo maxime conjungeret. Verba haec legit: C'est par la poésie que l'homme pouvait induire la nature, à être pleinement elle-même. (p. 63), «pour se mettre en communication avec l'univers» (p. 67).

Quod ad Georgica spectat nos docet Vergilius in hominis animo esse «une autre manière d'être en équilibre harmonieux avec l'univers, c'est le travail» (p. 63).

Quare, ut optime cl. Jacobus Perret assertit, Georgica a prooemii initio «vivent à un autre rythme: évocation du ciel nocturne, (in Bucolicis omnia sunt «atmosphère lumineuse» (p. 65), calme souverain de ses révolutions..., fêtes, travaux, réalité de toute la campagne» (p. 17).

Dit qui bucolicis raro intersunt («sont diffus dans la nature»), in Georgicis dit omnes et numina saepe «distinctement et précisément» invocantur, quia Georgicon natura «est l'œuvre conjointe des hommes et des dieux» (p. 73).

Haec tandem de Georgicis addendum est: Poëtae illeque omnes antiquitatis classicae auctores qui oratione soluta de improbo labore scripserunt, in animo materiae subjiciendo laborem ponebant; apud Vergilium tamen «de l'effort sur le matière naît la lumière de l'esprit» (p. 69).

Quid de Aeneide sentiat Jacobus Perret paucis audite: «le poème semble n'être qu'une reprise des épopées homériques» (p. 106). Hoc vero praecipue inter se duo haec poëmata dif-

ferunt, quod quae Homerus («narrateur dé-sintéresé») pulcherrima pulcherrimoque modo gesta narravit, Vergilius etiam pulcherri-mo, elegantissimo narravit et cecinit modo, futuram tamen Romae romanique imperii sor-tem prospiciens... «L'Énéide n'est pas une belle histoire, c'est un miroir du destin ro-main» (p. 107).

Unamquamque disputationem selecta in-sequuntur Georgicon, Bucolicon et Aeneldos poëmatum fragmenta, gallice a Paulo Valéry reddita. Quae versio, mea sententia, licet sit paululum libera, jucundissima est et fluens et numerosa.

Quid vero de versionis ratione a Paulo Valéry usurpata? Jacobum Perret audite: «Écartée la prose comme meurtrière de toute poésie, écarté le vers rimé comme principe d'une dilution ou d'une excessive mutilation, en tout cas d'une alteration du texte nous voici raménés à la solution valéryenne» (p. 174); Id est conversio Vergilli operum a Paulo Valéry, versibus alexandriniis non similiter cadentibus reddita est. Poëmata, lectores, legite atque vos ipsi de conversione illa a «nouvelle école» (p. 166) acerrime propugnata, judecate.

Liber sexaginta continet tabulas pictas, photographias, picturas ad artem sive hodiernam sive classicam pertinentes quae ad tex-tus et commentaciones capiendas admodum inservient

Grates ergo cl. viro Jacobo Perret maximas persolvamus quod nobis Vergillum poëtam et vigentem et florentem iterumque vivum et jucundissimum praebuit.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

SCHMID WALTER. — *Über die klassische Theorie und Praxis des antiken Prosarhythmus* (Hermes, Zeitschrift für klassische Philologie, Scripta separata, fasc. 12), Wiesbaden 1959, Franz Steiner Verlag, p. VII + 203, DM 20.

Hoc libro praestantissimo de doctrina at-que usu numerorum in oratione soluta adhi-bitorum agitur, qualem optimi auctores anti-qui cuin docuerunt tum tradiderunt. Ad quam rem certius investigandam in Ciceronem,

Aristotelem aliosque scriptores inquiritur, qui, quid de metris numerisque usitatis judi-candum esset, diserte dilucideque explicue-runt.

Jam ab ineunte hoc saeculo multi philo-logi has quaestiones solvendas suscepserunt. Sed id quod de sententiarum clausulis metri-cis repertum est, multis ex partibus cum doc-trina veterum dissentiebat. Hoc discrimen evitaturus Valtherus Schmid, vir rei peritis-simus Ciceronis et Aristotelis opera perquisi-sivit, in quibus non pauca de arte oratoria dicuntur, libros inquam Ciceronis, qui inscri-buntur orator ad M. Brutum, de oratore, par-titiones oratoriae, et Aristotelis rhetorice, quam aut ipse aut alius ipsius nomine usur-pato conscripsit.

Summa autem consideratione et circum-spectione, quaecumque ibi de verborum com-prehensionibus, colis, commatibus, numeris disceptantur, diligentissime perpenduntur. Quo in negotio exsequendo totus Orator ad Brutum quam accuratissime explanatur. Cunctis autem locis ad rem cognoscendam idoneis expensis demonstratur non solum extremas partes singularum sententiarum, sed totas verborum continuationes cadere nu-merose. Nam ait Cicero: «Qua re cum aures extreum semper exspectent in eoque ac-quiescant, id vacare numero non oportet, sed ad hunc exitum jam a principio ferri debet verborum illa comprehensio et tota a capite ita fluere, ut ad extreum veniens ipsa con-sistat» (Orat. 199)

Qui cursus periodi, quae Mario Victorino teste tribus pedibus vel quattuor vel complu-ribus constat similibus atque absimilibus, ad id revertitur, unde exordium sumpsit. Expe-titum est enim hoc exemplum a stadio, ubi meta circumita recurritur, ut circuitus fiat. Hinc verborum circuitum Cicero in libris, qui sunt de oratore, conversionem nominavit, quam Graeci periodon dicunt (cf. Orat. 204). quae consistit in compositione seu conloca-tione verborum, partium concinnitate, nume-ri membrorum, cum sit sententia tota nu-merose circumscripta, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurum sensum apto quodam quasi verborum modo (Part. 72). Periodus ergo non est aliquid syntacti-

cum, sed quiddam rhythmicum, nam oratio tamquam in orbe inclusa currit, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. Id autem quod numerosum in oratione dicitur non semper numero fit, sed nonnumquam aut concinnitate aut constructione verborum numerosa fit oratio, ut ait Ciceron; quae quidem articulis membrisque varie distincta est, ut conversiones habeat absolutas. Ita enim formanda est oratio, ne fluat, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius. Tamen ipsa membra sunt numeris vincienda (cf. *Orat.* 202, 207; *De orat.* 3, 190). De verbis autem dinumerandis syllabisque dimittendis, ubi de commissuris agitur, res eodem fere se modo habet atque in trimetris iambicis seu senariis.

His rebus universis etiam doctrinam auctorum graecorum congruit. Compluribus autem exemplis allatis scriptorum probatissimorum haec ars antiqua dicendi scribendive proponitur dinoscenda, qua calluerunt multi rhetores et scriptores usque in saeculum quartum p. Chr. n. Postremo his explicatiōnibus artificiosae prosae antiquae tota Ciceronis oratio Philippica sexta sub juncta scheme deducto ordineque discripto describitur designatis singulis membris particulisque inter se cum mensura tum metro simillimiſ. — Utinam haec oratio Ciceroniana quam perfectissime discis sonantibus mandetur! — Inde revera tam claritas structurae quam vis verborum, quorum suo quodque respondet loco, elucet. Hoc impetu summo Cicero sibi, animos nostrum in modum conciliavit. Is denique, qui huic libro, de quo agimus, studierit per noscendo, sine dubio miratus artificia rhetorices antiquae, qua gravitate euphonique sententiarum viri maxime egregii animos aequalium nimium quantum commoverunt, ordinem inveniet singularem modumque verborum compositorum elegantissimum hisce studiis tandem plane recognitum atque reclusum.

C. EICHENSEER, O. S. B.

MATTES, WILHELM. — *Odyssaeus bei dem Phäaken. Kritisches zur Homeranalyse.* Konrad Triltsch Verlag, Wuerzburg 1958.

Liber hic, septuaginta et centum constat pagellis, estque editio dissertationis quam

nobilis auctor W. Matthes, anno 1956 Facultati Philosophiae Universitatis Francofurtianae obtulerat, eaque litteraria lauro erat cumulandus.

Haud unis Philologis elucubratio haec exaratur, cum eandem per belle percipere possint qui Odysseam noverint, vel quidquam in schola de graeca historia didicerint. In animo quippe scriptoris poēsim interpretari, nedum philologiae explanare aut explicare provinciam. Liber solidae quidem eruditiois, magni momenti, studii tenacis; quo cultoribus litterarum graecarum in primis commendandus.

PHILOPONUS, C. M. F.

HOVE-CRAPS. — *Elocution et Rédaction par l'image*, Première et Seconde partie, AD. Wessel-Charlier, Namur, 1955-1959, 168 et 199 pg

Duobus his libellis continentur quinq̄inta themata seu argumenta elocutionis et compositionis, quorum viginti quinque primi voluminis alumnis priorum scholarum et viginti quinque alterius voluminis alumnis superiorum scholarum dicantur.

Primum auctores, tabula picta seu impressa imagine proposita, seriem quaestionum instituunt, quibus solvendis et enucleandis alumni vident, exercitiis nempe vocabulorum, compositionis, stilisticae, lectionis commentationibus instructae optimorum scriptorum in primis recentium. Haec ratio a tabula seu imagine rem desumendi quo facilius verba memoria teneantur, non est quidem nova; tamen ab auctoribus instaurata videtur, praesertim cum res et argumenta attingantur quae animos puerorum potissimum allicit.

Cum haec ratio et via magno ingenio praedita et alumnis jucunda videatur, vehementer auctoribus gratulamur qui operi indolem et speciem et formam recentiorem contulerint; quod opus quasi armamentarium rerum et argumentorum pro magistris ad scholas utiles gratasque reddendas sine dubio erit.

M. MOLINA, C. M. F:

MEAUTIS, GEORGES. — *Mythologie Grecque. Collections Lebègue & Nationale. Office de Publicité S. A. Editeurs. Bruxelles, 1959. 268 pag., 8 planches h. t. F. 135.*

Mythologiae graecae cognitio magni est momenti, ad scriptorum et litterarum intelligentiam multarumque picturarum et sculpturarum temporum antiquorum. In nobilibus «Collections Lebègue et Nationale» opus hoc ordine est 128. In introductione (pp. 7-23) clarissimus scriptor G. Méautis, et de re et de proposito, luculenter atque eruditè disserit. A quo totus liber in tria capita rite dividitur.

I. *Les Divinités primordiales* (pp. 25-53).
 II. *Les Olympiens: Zeus* (pp. 57-65); *Héra* (66-69); *Poseidon* (70-75); *Athèna* (76-83); *Apollo* (84-95); *Artémis* (96-100); *Hermès* (101-107); *Dionysos* (108-114); *Déméter* (115-125); *Hadès* (126-131); *Aphrodite* (132-146); *Eros* (147-152); *Arès* (153-156); *Héphaïstos* (157-155); *Hestia* (166-167); *Les dieux inférieurs* (168-184).

III. *Les héros* (pp. 185-188). — Stricta conclusione liber absolvitur (159-160), cui proprietatum quidem nominum et picturarum indices adjunguntur (261-298).

Paucis, clari viri G. Méautis descriptio vel expositio perlucida; et picturis vasorum fere adhuc incognitorum variatur, quae scilicet sapientiae illum thesaurum et pulchritudinis quae est Mythologia illustrare nata sunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

SCHURINGA J. — *Adversaria. Samengesteld door Dr. J. Schuringa. J. B. Wolters, Groningen 1959.*

Hic libellus (80 paginis constat) colligit litterarum ordine disposita praecipua verba, conjunctiones, voces cet., quae valde necessaria sunt omnibus alumnis qui latinitati vacant. At non est lexicon inconnexum, sed vivax et perspicuitate typorum et rerum contextu. Voces saepe per familias proponuntur. Liber lingua latina et batava scriptus sine dubio alumnis batavis commodo erit et exterarum gentium magistris qui haud parvam utilitatem ex eo capere poterunt.

J. SIDERA, C. M. F.

BORIS DE RACHEWILTZ. — *Kunst der Pharaonen. Artemis Verlag. Zürich und Stuttgart 1959, p 224. DM 24.80.*

Hunc librum primo Italice conscriptum, quo artificia pharaonum tractantur, cum esset praestantissimus atque nitidissimus, Josephus Halperin summa diligentia germanice reddidit. Quod autem ibi tot tantaque eleminta argumentaque continentur adhuc plus minus ignota, quamvis jam, ut ita dicam, sescenta volumina de artificiis aegyptiacis composita sint, facile intellegitur ab eis, qui domui editrici Artemidos praesunt moderandae, desiderium quoddam eorum magnopere expletum esse, qui non solum ipsis artificiis cognoscendis contentis virtibus student sed eam quoque rem perspicere contendunt, qua Aegyptii antiqui suas ipsorum sententias secuti suaque sensa lapidibus sculptis et lignis dolatis expressuri cum inter se tum a nobis differant. Non solum igitur imagines antehac vix conspectae proponuntur, quae magnam partem iis afferuntur coloribus depictae, quibus revera in museis vel horreis talium thesaurorum exstant asservatae, sed etiam enixe demonstratur, quomodo res variis aetatibus antiquitatis aegyptiacae, prioribus dico mediis posterioribusque, inter se cohaereant, additurque, qua rerum scientia instructi quamve viam ingressi nos aliquatenus Aegyptii assimilati animo comprehendamus, quid illi senserint ipsi. Quae res via ac ratione inde a principio usque ad finem, id est aetatem Romanorum, qui saeculo ante Chr. n. Aegyptum occupaverunt, perducitur per vestigata. Agitur autem de arte ipsa, de artificiis sculpendi et pingendi sive publice sive privatim excultis, de pictura universa, de arte speciali, de generibus architecturae, denique de cimeliis confectis. Cuncta vero, quae narrantur et docentur, imaginibus photographicis demonstrationi maxime idoneis satis copiose atque dilucide explanantur. Inter quae simulacula magnifice, quantum aut ad photographiam aut typographiam pertinet, redditam merito miraris regis cuiusdam tabulam fuorum, picturarum quarundam partem, quae confectae sunt ante dynastias, exempla scripturae hieroglyphicae, quae dicitur, statuas

varias sive regum sive principum sive viorum sive mulierum sive bestiarum, ectypa plerumque, ut ita dicam, plana Aegyptiis maxime propria, e quibus speciatim vacca quaedam lacrimata commemoranda videtur. Accedunt vasa aedificiaque tam affabre allata, ut putes res depictas ipsas ante oculos versari. Inter quas figurae eminent saltatrix quaedam Negadiana, pontifex quidam maximus, scriba quidam quintae dynastiae ejusdemque aetatis proceres quidam, ornamenta sepulcralia instar hominum, qui dominos suos in perpetuum fideliter custodiunt. Praeterea homines mireris morti obvios obnoxiosve saltantes, ut pauca seligamus nominatim memoranda, anseres pastum quaerentes, aves gregatim collectas, luctatores inter se mixtos, feras a venatoribus diffugatas cursu citatissimo aufugientes, vulpem casu miserabiliter interceptam moribundam, symphoniacas quaedam una cum saltatricibus, ancillam quandam dominae suae servientem, denique puerilam inter aquae animalia venuste natantem. Postremo in libro extremo conspectus indiscesve rebus singulis facile reperiendis commodissimi exhibentur, quibus quisque informatur cito certior faciendus, cui loco cuiusque aetati singulae res congruenter assignandae tribuantur. Hae condicione ita ferunt, ut hoc, de quo agimus, opus ex charta optima confectum cuilibet rerum aegyptiarum perito et cuivis artifiorum illorum priscorum quasi uno tenore pernoscendorum studio merito multimodis commendetur comparandum.

C. EICHENSEER, O. S. B.

MANNI, EUGENIO. — *Introduzione allo studio della Storia greca e romana*. Secunda edizione riveduta e aggiornata. Editore Palumbo, Palermo 1959.

Alumnis qui in Universitatibus Historiae graecae et Historiae romanae operam dant, hoc opus a clarissimo viro Professore Eugenio Manni dicatur. Non de ipsa hic Historia graeca et romana, sed de Introductione ad eandem agitur; quae quidem argumentum omnibus numeris absolutum, mea quidem sententia, attigit. Unde adminiculum laboris scientifici commodissimum erit, discipulis potissimum.

In brevi praefatione (5-7) de proposito et tenore operis non nulla praebantur. Quinque autem partibus res ordinatim definitur. I. Methodus: ubi erudite de historia pristina et de «Historia»; de finibus aevi antiqui; de processu philologico et de renovatione historica agitur (9-43). II. Bibliographia generalis: 1. Fundatores historiographiae hodiernae. 2. Opera et commentaria praecipua ad Investigandam historiam antiquam. 3. Bibliographia praecipua ad Historiam graecam. 4. Bibliographia praecipua ad Historiam romanam. 5. Adminiculum vel subsidium eruditioinis pristinae. 6. Bibliographia generalis fontium (45-90).

III. Fontes litterarii ad Historiam graecam: a) fontes primarii: autobiographiae, relationes, orationes, litterae. b) fontes secundarii: logos, graphi et historiae universales, historia generales Graeciae, historiae locales, monographiae et biographiae (91-140). IV. Fontes litterarii ad Historiam romanam: a) fontes primarii: autobiographiae, litterae, orationes panegyrici, scripta de re politica. b) fontes secundarii: annalium scriptores rei publicae, monographiae historicae aetatis rei publicae, historiographia graeca de re publica romana et de prima Imperii periodo, biographiae, historiographia aetatis imperialis, alta chronica aetatis byzantinae (141-195). V. Geographia, Chronologia et Chronographia (197-225)

Deinde breviationum index (227-235), et nominum auctorum antiquorum (233-241) Introductio haec ad Historiam graecam et romanam, vere digna est, quae in voluminibus illius nobilis «Biblioteca di Cultura Moderna» evulgetur.

PHILOPONUS, C. M. P.

FISCHER, L. MAURICE. — *Le formulaire du jeune Latiniste*. (Toutes les classes de la 6^e à la 1^{re}. Fernand Nathan, Editeur. 18, rue Monsieur-le-Prince. Paris, 6, 1953. ed 4^e.

RAT, MAURICE. — *Comment faire la version latine*. Cinquième Edition revue et augmentée. Fernand Nathan, Editeur. 1954

En duo libelli ejusdem Officinae librariae idem propositum diversa tamen via persequentes. Opusculo *Le formulaire du jeune Latiniste* omnia eaque sola continentur quae omnibus omnium classium alumnis scitu

necessaria sunt quod ad specimina grammatica et quod ad syntaxim. Prior ergo pars nomina, adjectiva, verba proponit, altera syntaxim. Haec autem omnia per «formulas» proponit quae memoriae infixae, facilius rem traditam patefaciunt. Itaque regulae simplissimis verbis propositae statim sententia adjicitur quae regulam explicit. Proinde libellus (90 paginis constat) alumnis utilis erit, praesertim si magister amplius enucleet quae per breviora proponuntur.

Quomodo in gallicum (vel in aliam lingua) ex latino convertendum, alumnis difficile captu, magistris haud facile dictu. Hic alter libellus «Comment faire la version latine», praecipua ad recte convertendum proponit. Ita auctor constructionem grammaticam auctorum latinorum monstrat: (primum consilium: «Verbum quaere et inspice», (verbum enim alta illustrat); deinde breviter agit de casuum usu et modorum verbalium, de via ad vim et sensum proprium vocabulorum inventendum. Postremo ipsam versionem tradit quae accurata sit oportet et elegans. Omnia auctor exemplis amplius roborat. Auctoris cuiusdam locum seu fragmentum seligit, quod analysis ope investigat, ejus errores denuntiat, veram viam et exemplar monstrat.

Opusculum et alumnis et magistris haud parvae futurum esse utilitati arbitramur.

JACOBUS SIDERÀ, C. M. F.

JOUHANDEAU, MARCEL. — *Lettres d'Héloïse et d'Abélard - Lettres de la Religieuse Portugaise*. Librairie Armand Colin. Paris 1959.

Novus hic libellus in nobili illa «Bibliothèque de Cluny». Res de qua agitur ex ipsa operis inscriptione commode appetit. Clarus quidem scriptor Marcellus Jouhandeau hanc lectoribus editionem rite offert in praefatione, cui et non nulla adduntur de Héloïsa et Religiosa Olisiponensi a cl. v. Rilke exposita; atque hujus editionis brevis explicatio (pp. VII-XVII)

Dispositio vero libelli haec est: Introductio (pp. 3-14). Epistula ad amicum: Abelardi malorum historia (15-79). Epistula prima: Héloïsa ad Abelardum (77-90). Epistula altera: Abelardus ad Héloïsam (91-101). Epistula tertia: Héloïsa ad Abelardum (103-116). Epis-

tula quarta: Responsum Abelardi ad Héloïsam (117-145). Abelardi responsum ad Héloïsae dubium (147-161). Epistula Petri cluniacensis ad Héloïsam (163-173). Litterae Héloïsae ad Petrum cluniensem (175-176). Absolutio Petri Abelardi (177).

Prooemio brevi dato, quinque consequuntur epistulae Religiosae Olisiponensis (pp. 181-219). In appendice exstant: latinus textus litterarum Héloïsae atque commentarii de Héloïsa et Religiosa Olisiponensi (223-256). Brevi librorum recensione totum clauditur opus.

ROEMISCHE DICHTUNG. — *Virgil, Horaz, Ovid, Lateinisch gesprochen von Viktor POESCHL, mit zweisprachiger Textbeilage und Einführung. Discus minutis suicis Die Stimme der Alten Welt*, Zurich, Attemis Verlag.

Nobilis domus Editrix, Turici, jam pridem ediderat discum textus graecos Homeri et Platonis exprimentem. Nunc vero et latinorum textum in lucem fauste edidit, qui quidem sedulo delecti paratique sunt. Ex Vergilio autem prostant loci cantus VI Aeneidos: vers. 42-155 («Aeneas et Sybilla»); 440-476 («Aeneas et Dido»); 637-702 («Aeneas et Anchises»). Ex Horatio vero: Satura I, 9 («Garrulus»). Denique ex Ovidio: Metamorphosis I, 452-567 («Apollo et Daphne») ex X, 243-297 («Pygmalion»).

Libellus qui discum comitatur, latinum textum et commodam germanicam conversationem exhibet, una cum erudita de locis his introductione. Non omnibus fortasse sapientibus ex integro pronuntiatio quae adhibetur, probabitur... cum pauci soni potius ad germanicam pronunciationem pertinere videantur.

Propositum tamen de nova evulgandarum latinorum litterarum ratione prorsus comprobandum.

Laudibus vel maximis cumulandi sunt et Dr. V. Poeschl qui hos selegit poetarum romanorum locos et Domus Artemis quae summa cura eos in discum incidere curavit. Haec quidem agendi ratio plurimum ad fervendam linguam latinam eamque ex auditu descendam conferet.

A. MARQUÉS C. M. F.

HUNGER, HERBERT. — *Lexikon der griechischen und römischen Mythologie*. 5 erweiterte und ergänzte Auflage. Verlag Brüder Hollinek · Wien 1959.

Hoc lexico graecae et romanae Mythologiae, quintum editio, praebetur non tantum brevis eaque nitida expositio omnium alicujus momenti rerum pristinarum mythographica rum, verum etiam, novissima litteraria arte et bibliographia duce, quicquid in historia religionum, de singulis deorum et herorum perso nis, commonstratum est.

Quod autem in hac editione est propositum ante oculos objiciendi picturas et monu menta antiqua mythorum, in pictura et sculptura, in re litteraria et musica occidentis usque ad nostram aetatem, adhibitis plus 3.000 pristinis documentis: id plane auctor est assecutus.

Commodus certe liber manualis 38, pagellarum, arte tota typographica exaratus. Duo et quinquaginta classicae picturae Lexico huius praeceunt. Quae in bibliographia hodierna desiderabantur hoc opus sane complet. Ex quo nihil mirum, si quinque tantum annis, quattuor ejusdem editiones sint exhaustae. Lectoribus PALÆSTRAE LATINAЕ opus quam vehementer commendandum censuimus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GESTER, M. — *Repertoire de vocabulaire latin, à l'usage des classes inférieures*. Editions De Sikkel S. A. Lamorintestraat, 116, Anvers 1959.

Id opusculum opus Mathynianum in compendium redactum dicerem et in usum scholarum inferiorum digestum, cum ea tan tum verba in eo afferantur quae «frequentia» 10 saltem notantur in *Vocabulaire de Base*. Voces ordine per declinationes et conjugationes proponuntur. Sensus vero non additur: alumno complendus erit in eo spatio post singulas voces relicto. Alumnus qui haec verba memoriae mandaverit, ex 10 verbis 8 cognita habebit cum scriptores latinos scholares legere perget. Quod quam optandum sit omnibus magistris patet.

J. SIDERA, C. M. F.

TRISOGLIO, FRANCESCO. — *San Gaudenzio da Brescia Scrittore*. Torino, Via S. Pio V, 10. 1960

Libellus septuaginta admodum paginis constat in quibus acies ingenii plane elucet. Rel testimonia ad 925 a praecario scriptore ibi adhibentur. Fasciculus autem nobiliti illi Bibliothecae commentariorum «Studi Classici» adnumeratur, cui quidem et edendae et moderandae praestet egregius Professor Victorius d'Agostino.

Cum vita tum opus litterarium Sancti Gaudentii Brixiani, duce historia et novissima bibliographia, strictim a Doctore F. Trisoglio perpenditur, quin id tamen obstet efficiendo operi vel maxime in historia laudando.

PHILOPONUS, C. M. F.

QUIRING HEINRICH. — *Heraklit Worte toenen durch Jahrtausende griechisch und deutsch*. Walter de Gruyter et Co. Berlin 1969.

Hoc lepidum elaboratumque opusculum a Doctore H. Quiring exaratum memoriae Heracliti philosophi ephesini, anno 2.500 vertente ab ejusdem natali, dicatur.

Fere 400 fragmenta pristinorum scriptorum graecorum ex opere Heracliti desumpta — quae non alio ad nos pervenerunt fonte — velut in fasciculum colliguntur. Quae quidem fragmenta — proposito textu graeco cum germanica translatione — hac ratione exhibentur: A. Axiomatum seu principiorum index (pp. 49-51); B. Veritatis fontes (pp. 52-60); C. Mundi anima, aether et cosmos (pp. 61-65); D. Rerum natura (pp. 66-81); E. Cursus et mutationes (pp. 82-89); F. Concordia et discordia (pp. 90-101); G. Ignis commutatio (pp. 102-112); H. Sapientia (pp. 113-118); I. Illusio et desiderium (pp. 119-127); K. Vita et mors (pp. 128-133).

Post brevem praefationem varia hominum iudicia tempore progrediente de Heraclito philosopho perhibentur (pp. 6-48). Librorum et fragmentorum index opus absolvunt et perficiunt (pp. 134-164). Aptissime juxta illud effatum hic laboratum est: «Colligit fragmenta».

PHILOPONUS, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marcs; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VII — (FASC. I) — N. 25

M. MARTIO

A. MCMLXI

NIVICANDIDA ET SEPTEM NANI

Prioribus illis temporibus... — Hanc tradunt fabellam prioribus illis temporibus evenisse cum bonae sagae¹ lamiaeque² pravae — mala hominibus ominantes — vitam, nanis dusiisque³ comitantibus, tranquillam agebant.

Quodam die, frigore glacieque terra rigente, dum montes et vias candidas nix reddit, regina, quae ad aedis regiae pergulam⁴ flammeum⁵ acu pingebat, digitum suum casu pupugit sanguinisque guttulae in albam nivem ex parvo vulnere irrorarunt.

— «Utinam, nivem spectans candidam et sanguinem, utinam, inquit, bonae sagae puellulā, quae candida sit sicut nix rubraque ut sanguis, me donent!».

Paucis post diebus sagae puellulam candidam ut nivem rubramque ut sanguinem ei dono dederunt...

At paulo post mater «Nivicandidae» — hoc enim nomen ei indimus — e vita decessit et Rex — puellae pater — uxorem duxit Reginam alteram, specie ac venustate vere eximiam, quae tamen

pati non poterat ut aliae pulchritudine sibi praestarent. Magicum speculum, quod lamia quaedam amica ei donaverat, saepe consulebat:

— «O specillum, meum specillum, estne aliqua me pulchrior?».

— «O mea Regina, tu omnium est pulcherrima...».

Ubi Nivicandida decimum quintum aetatis attigit annum, admodum sollicita, speculum Regina consuluit:

— «O specillum, meum specillum, estne mulier quae mihi pulchritudine praestet?».

Et speculum:

— «A, mea Regina et domina, tu certe decora, pulcherrima, formosissima es; Nivicandida vero multo te est venustate et pulchritudine insignior».

Odio atque invidia pallens, Regina non poterat jam inde Nivicandidae non invidere ita ut eam necandi iniret consilium. Hac prava voluntate quodam die unum ex venatoribus ad se Regina vocavit, eumque, Nivicandidam depre-

1. bruja, hechicera. 2. lamia, monstruo. 3. duende 4. mirador, balcón. 5. velo.



hensam, in silvam secum ducere illamque interficere jussit. Qui cum in silvam venisset et jam jam venator acutissimum cultrum in Nivicandidae cor defixurus esset, eum puella princeps, in lacrimis effussa, ut sibi indulgeret iterum iterumque rogavit.

Misericordia bonus venator erga Nivicandidam motus, quamquam vitam ei condonavit, imperavit tamen ut sibi promitteret nunquam in aulam regiam reversuram.

II. - Nox appetebat... — Misera puella, quid faceret nesciens, silvam intravit; et cum perlongum iter instituisset, vergente jam die, in ligneam pervenit domunculam in quam, ut quieti se daret, ingressa est.

Omnia in ea parva erant, sed maxima elegantia et munditia et venustate disposita. Supra mensam, ad cenam structam, septem erant catilli, septemque pocula erant. Juxta singulos catillos ligula⁶, fuscinula⁷ et cultellus apparata erant. Ad parietem lectuli, septem linteaminibus plane mundis operti, ordine appositi erant.

Cum magna Nivicandida cruciaretur fame neque molestiam ulli convivarum offerre vellet, pauca cicerculala⁸ ex alio comedit, ponis offulam⁹ ex alio sumpsit, vini guttulam ex unoquoque bibit poculo, dum totam famen et sitim Nivicandida explevit. Mox parvum introivit cubiculum, et accumbens

in lectulo, tranquille obdormivit... Nox jam appetebat, cum septem domum per venerunt nani. Suas septem lampades incenderunt, collustratoque cenaculo aliquem illuc intravisse compererunt.

Nanorum natu maximus primus exclamavit:

— «Aliquis in mea consedit sellula».

Alius postea:

— «Quispiam e cicerculis meis comedit».

Deinde tertius:

— «Aliquis parum vinuli potavit».

Quartus tandem:

— «Quispiam ligulā mēā edit».

Itemque plus minus ceteri omnes. Cenati cubitum ierunt nani...; subitoque vero omnium natu minimus facile:

6. cuchara. 7. tenedor. 8. garbancito. 9. trocito, pedacito.

— «Quis, inquit, in meo lectulo accubuit?»...

Revera, lampadibus septem fulgentibus, pulchram et decoram in lectulo jacentem invenerunt Nivicandidam. Non audentes nani e somno eam suscitare, quia itineris lassitudine esset fatigata, cubitum omnes abierunt.

Sed sole jam micante ad eam salutandam laetantes omnes introierunt. Nanorum maximus natu exspectans ab ea quaesivit:

— «Quod est tibi nomen?».

— «Nomen est mihi Nivicandida».

— «Et qui fieri potuit ut in domunculam nostram advenires?».

— «Noverca mea, inquit, mihi maxime invidens, ut venator quidam me interficeret paecepit; qui tamen optimus et misericordiae plenus, mihi vitam donavit. Postea vero cum totum diem per silvam iter fecisset, ad vestram tandem perveni domunculam».

Tunc nani:

— «Visne, Nivicandida, nobiscum manere?».

Quibus illa laetitia perfusa:

— «Libentissime, inquit, vobiscum manebo».

Quo ex tempore, erga septem nanos optimae matris munus Nivicandida obiit,

III. - Estne qui mihi pulchritudine praestet?

— Paucis post diebus quam Regina imperaverat ut puella princeps necaretur magicum speculum sollicita rursus consuluit:

— «O specillum, meum specillum, estne quae mihi pulchritudine praestet?».

— «A, Regina, tu formosa, decora, venusta es; Nivicandida vero, quae nunc cum nanis vitam in silva agit, tibi specie multo praestat ac pulchritudine».

Quae cum Regina audisset, ira ac

furore tremens, ipsa sua manu Nivicandidam occidere animum induxit.

Venditricis more induta, clam ex aula regia egressa est, in silvam intravit et ubi ad nanorum domunculam appropinquit voce senili hunc tam dolosum edebat clamorem:

— «Quis a me parvo, minimo res bellissimas emit...? Pulchella, venustula veneunt...».

Nivicandida —quam nani ut omnibus domo interdiceret admonuerant— rebus, quae in aniculae canistro inventebantur, admodum allecta, januam ei reseravit, fasciamque pectoralem multis variisque contextam coloribus emit. Quam cum anicula venditrix arriperet occasionem, vi tanta, illi postulanti, tantoque odio fasciae pectoralis vittas constrinxit ut misera Nivicandida exanimis deciderit. Tunc venditrix cachinnos tollens raucos:

— «Tandem, inquit, res mihi optime procedit... Ultionem in te obtinui; specie jam mihi non praestas neque ultra praestabis...».

Quibus dictis abire properavit.

Praecipiti jam die, nani, laboribus confectis, statim eam levaverunt et cum fascia pectorali spoliassent, resipuit. Cum vero Regina domum pervenisset specillum denuo anxia consuluit... Et cum certior facta esset se omnium pulcherimam non esse, ira incensa, vetulaeque iterum veste induta, baculo innixa ut melius dissimularet, ad Nivicandidae domunculam se contulit; ad quam cum appropinquaret, sic clamare coepit:

— «Pectines vendo, sunt vobis ex auro pectines pulchelli».

Quos cum Nivicandida in deliciis haberet, immemor consiliorum nanorum,

ad viam descendit, pectinemque a vellu-
la emit.

— «Visne, blanda voce inquit, visne
me tibi capillos comam?».

Quod simul ac Nivicandida annuit,
venditrix ita acumina —veneno intin-
cta — in capite defixit ut exanimis puella
princeps humi deciderit.

Paulo post nani pervenerunt et humi
postratam Nivicandidam viderunt; tunc
omnes accurrerunt eamque ulnis sustule-
runt atque in lectulo collokarunt, et pecti-
ne in capite ab anicula defixo extracto,
laeta Nivicandida iterum resipuit.

IV. - Haec aspicite, haec emite mala. —
Statim vero ut Regina in aedes pervenit
regias, ueste exuta venditricis, speculum
sumpsit atque anxia interrogavit:

— «O specillum, meum specillum,
estne quae mihi pulchritu-
dine praestet?».

Quibus speculum:

— «Pulcherrima jam non
es, mea Regina; quae cum
nanis nunc vitam beatam
Nivicandida agit, multo te
speciosior est et venustior».

Immani concita rabie et
furore, in abditam domus
partem secessit Regina, ma-
lumque rubrum sumpsit ac
venenum in illud mortiferum
immisit. Agrestibus deinde
induta uestibus, Nivicandi-
dae domunculam petivit, at-
que ad januam appropin-
quans clamare dolosa ven-
ditrix incepit:

— «Sunt vobis mala, nul-
la dulciora neque suaviora

invenietis; haec aspicite mala..., in ma-
nibus habete, emite...»

Quibus auditis, ad fenestrulam laete
Nivicandida prodiit... Quot et quam ma-
tura et tenera et aspectu jucunda illa
erant mala...!

Quare cupiditate impulsa et appetitu,
ad viam descendit unumque ex malis
—quae callida anus afferebat— desump-
sit; simul tamen atque illud degustavit in
terram Nivicandida cecidit...

— «Actum est de Nivicandida», ani-
cula laetitiae ac ferocitatis plena exclam-
avit; et celeriter discessit...

Cum pumiliones ¹⁰ domum redierunt
et Nivicandidam humi jacentem viderunt,
Reginam denuo suis dolis vicisse compe-
rerunt. Illam ergo deflentes levarerunt,
aqua et vino laverunt, semel iterumque
oleo fricuerunt miro, sed opus eorum



10. enano.



nihil ad rem profuit. Arcam igitur vitream lucidamque exstruxerunt nani atque in eam Nivicandidam deposuerunt. Deinde arcam umeris portantes pumiliones in summo monte collacaverunt.

Multae deinde hebdomadae abierunt, menses quoque et anni... Et quodam die princeps illuc venatum adveniens, cum vitream arcam et Nivicandidam tam venustum jacentem vidisset, ex equo desiluit et pumilionibus eam custodientibus:

— «Mihi, inquit, hunc loculum una cum Nivicandida donate; pro quibus quae volueritis solvam».

— «Minime, neque auro pensandam tibi arcam et Nivicandidam nostram dabitus», nani responderunt.

Principi tamen urgenti, arcam vendere constituerunt. Sed cum umeris ser-

vorum in principis aedem Nivicandida transportaretur et unus quidam pedem in arborem offenderet, propter loculi¹¹ jactationem, e Nivicandidae gutture malum venenatum evomitum est, statimque oculos aperiens, vitam recepit...

Omnes maximo affecti gaudio domum regiam principis petierunt, ubi in diem posterum —Nivicandida enim, roganibus pumilionibus, nuptias cum principe conciliaverat— nuptiae paratae sunt. Ad festum Regina est etiam invitata; quae cum ornatissimis et splendidissimis induita vestimentis ad Nivicandidam venisset, atque per servum certior facta esset in Nivicandidae honorem, qua nulla pulchrior esset inter omnes ac venustior, festum agitari tantum, illi insidias Regina parare voluit.

Consiliis vero patetfactis, principis jussu illam servi deprehenderunt atque in eam animadverterunt adeo ut cogarent calceolis ferreis cendentibus saltare, dum exanimis humi caderet.

Nivicandida vero —puella princeps alba ut nix, rubraque ut sanguis— felicem beatamque vitam in posterum egit.

Marianus Ortiz

Joannes Grau

Stephanus Martinus Esono

Patricius Atebá (R. I. P.)

Josephus Sanchis

IV Cursus Alumni

Barbastri

11. ataúd, fértero.

Dives peccata confitetur

Dives peccata confitetur, et a Patre interrogatur:
 — Scisne orationem quae incipit «Pater Noster»?
 Minime, Pater, inquit, quoniam saepissime disce-
 re incepi et hoc numquam assequi potui.

— Bene. Sed tu nonne nomina illorum quibus
 pecuniam credidisti recordaris?

— Ita sane, Pater.

— Hanc ergo poenam solves: nomina omnium
 quos ego tibi pecuniae petendae causa mittam dis-
 ces, atque octo diebus transactis redibis.

Et factum est ut convenerant.

Pater primum legatum misit ut ab eo quinque
 libellas peteret.

— Quo modo vocaris, amice?, quæsivit ab eo
 paenitens.

— «Pater Noster» vocor.

Quo auditu dedit ei quod petebat.

Pater secundum legatum misit decem libellas pe-
 tendi causa.

— Quo modo vocaris?

«Qui es in caelis» vocor.

Tertium misit. Et tu quo modo vocaris?

— «Sanctificetur nomen tuum», inquit ille.

Hujusmodi tot quot «Pater Noster» requirebat
 misit.

Post octo dies dives Patrem iterum adiit, qui le-
 gatorum nomina enumerare jubet.

Creditor incipit: «Pater noster, qui es in caelis,
 sanctificetur nomen tuum»...

Tunc Pater non potuit non subridere, et credito-
 ri causam quaerenti:

— Quia video, inquit, quam facile orationem
 «Pater Noster» didiceris.

Antonius Martinez, C. M. F.

Castro Urdiales.

est interpretatus

— Me absente musicorum coetus nequit
 canere; sum enim vidulae («violin») primus pul-
 sator.

— Me quoque absente nequit in Lyceo dra-
 ma agi.

Curiosa et Jocosa

Triangulus Magicus

1 2 3 4 5

1				
2				
3				
4				
5				

- 1) aequoris
- 2) facies
- 3) Negotium
- 4) Pronomen demonstrativum
- 5) Consonans

J. A. COSTA

Celsonae.

In pompa exequiali:

— Hujus adolescentis tanto
 praediti ingenio valde me mi-
 seret. Tres quatuorve linguis,
 quibus nemo unquam locutus
 erat, pernoverat.

— Ne fueris anxius; vel mor-
 tuus eis uti poterit.

— Pater, licetne a puerulo,
 qui perperam se non gessisset,
 poenas expetere?

— Minime vero, carissime.

— Tunc, ergo... cur sum a
 magistro punitus cum nec scrip-
 tiones fecisset nec lectionem
 memoriae tradidisset?

— Quid? tune moderator es?

Nullo modo, sed sunt mihi claves theatri...

Benjaminus M. FORCANO

Celsonae.

L. QUINCTIUS CINCINNATUS



Vis Sabinorum ingens prope ad moenia urbis venit. Tum plebs benigne arma cepit, magni duo exercitus scripti sunt. Cum Minucius, qui alteri exercitui praeerat, haud procul ab hoste castro posuisset, castris se pavidus tenebat. Hostes Romanos postero die circumdant. Quinque vero equites Romae nuntiarunt exercitum obsideri.



Nihil tam inopinatum nec tam insperatum accidere potuit. Itaque tantus pavor, tanta trepidatio fuit, quanta si urbem, non castra hostes obsiderent. Cum Senatui visum esset dictatorem dici qui rem publicam perculsam restitueret, L. Quinctius Cincinnatus, consensu omnium, dictator dicitur.



Spes unica imperii populi romani, L. Quinctius, trans Tiberim, quattuor jugerum ipse colebat agrum. Ibi a legatis, seu fossam fodiens, seu arans, operi certe agresti intentus, inventus est. Togam propere e tugurio proferre uxorem Ruciliam jubet.



Qua simul, absterto pulvere et sudore, velatus processit; dictatorem eum legati consulunt eumque in urbem vocant. Navis Quinctio publice parata erat transvectumque tres obviam egredi filii excipiunt. Magna quoque patrum plebisque frequentia stipatus, anteecedentibus lictoribus, domum deductus est.


dictator dicitur

Postero die dictator claudi tabernas tota urbe jubet, vetat quemquam privatae quicquam rei agere, quicumque aetate militari essent, armati, ante solis occasum in campo Martio essent. Ipse dictator: «Accelera, signifer! Sequere miles!» adhortans equites duxit ut nocte ad hostem pervenire possent.

Media' nocte in Algidum pervenient, et, ut senserunt se jam prope hostes esse, dictator clamorem omnes tollere jubet; superat inde castra hostium et in castra consulis venit. Nocte initum proelium est. Luce prima hostes jam circumvallati a dictatore erant et vix pugnam sustinebant.

Gracchum Cloelium ducem principesque alios vincitos ad se adduci jubet; reliquos autem licere abire, nam se Aequorum sanguine non egere ait; sed, ut confiteantur subactum domitumque esse hostem, tribus hastis jugum fit et sub hoc jugum dictator Aequos misit.

Romae Senatus triumphantem Quintium agmine urbem ingredi jussit. Hostium duces ante currum dictatoris ducebantur; exercitus sequebatur praeda onustus. Epulae instructae erant ante omnium domos epulantesque cum carmine triumphali et sollemnibus jocis currum secuti sunt. Quintius sexto decimo die dictatura se abdicavit.



Aestiva nocte...

UNA NOCHE DE VERANO

A. MACHADO, Poesias completas, 123.

*Silente nocte, pergula
domus reclusa et janua,
intravit atra mors domum
et appropinquavit toro
meae puellae noxia.*

*Ne me quidem vidit. Ei
subtilibus quid unguibus
fregit gracillimum. Neque
et intuens me, denuo
muta ante me mors transiit.*

*Quid, quaeso, fecisti? Neque
responsa mors mihi dedit.
Puella dormit. Cor meum
dolor percussum. Leve
eheu!, diremit mors atra
inter me et illam licium.*

Josephus Beltrán
V. Cursus alumnus

Miscentis utile dulci

Cum a quadam Lacaena quereretur: «Quae tua dos est?», respondit; «A patribus morum integritas».

J. CANALS

Lacedaemon cum hominem a diis mendicare animadvertisset —qui Cybeles esset sacerdos— «deos inopiores, inquit, quam ego non curio».

J. M. CAMARERO

Cum quidam Spartam a regibus incolumem esse, qui rem publicam optime reges gererent, affirmaret, rex Theopompus respondit «minime, sed a civibus incolumem, quia mandatis semper oboedirent».

J. M. MARTINEZ

CANIS HOMICIDAM PRODIT

Cum tribus abhinc saeculis homo quidam cum cane fideli iter faceret a latrone interfactus et expilatus est. Latro profugit, sed canis in loco permanxit et cadaver eri custodivit. Accidit ut forte tabernarius superveniret, et cadaver conspicatus et misericordia permotus eodem loco sepelivit. Ex eo tempore canis ultra hominem comes est secutus. Jacebat in taberna et omnibus, qui intrabant et exibant, adulari solebat. Quodam die latro ille scelestissimus intravit. Quem canis protinus agnoscens allatratuit vehementer et in ejus faciem insiluit. Haec res inusitata omnium, qui aderant, movit suspicionem. Surgunt, maledicuum comprehendunt, coram judice constituunt. Negat initio, ut fieri solet. Tandem cum se homicidium perpetrasse confessus esset, in publico suspensus est patibulo.

N. MANGEOT

Alexandro se deum esse jactanti, Damis respondit: «Alexandro se deum appellare conceditur quotiens ei libet». Celsonae. J. M. MARTINEZ

POTATOR VAFER

Potator cum in febrim incidisset, vehementius solito sitire coepit. Medicos arcessivit. Qui coram eo de febri depellenda et tanta siti sedanda consilia consulterunt. Sed potator cum eos de sedanda siti deliberantes audisset, «vobis», inquit, «cura tantum modo est quomodo me a febri magna liberetis. A siti hac intoleranda quomodo liberer, ego ipse videbo».

N. MANGEOT, S. J.

Homines probi

Fidem qua es constrictus,
summa religione exsolvito sicut
Ruy Diaz de Vivar, qui Iudeos
quosdam Burgis commorantes
pecunia, quae sibi credita fue-
rat, ut bellum contra mauros
inferret, donavit.

His enim apposuerat pignori
capsas duas clausas, harenæ
plenas, quas Iudaæ, ejus fide
freti, argento refertas cogita-
bant.

Itaque egregius vir et de-
bellator Cid cum vîtor Valentiam ingressus esset, mutuam
pecuniam restituit.

Similiter, historia Civitatum Foederatarum Americae,
magnum præstat honorem veraci paucorum annorum puero
qui postea nobilissimus fuit præses. Cujus pater cum in
domus viridario cerasum jucundissimam securi lictibus
discissam animadvertisset, peritatus liberos famulosque
arcessivit ut quis eorum tanti facinoris esset factor, exqui-
reret.

Tunc autem puellulus audacter procedens: «Pater mihi,
inquit, ego tibi mendacia minime fingere volo. Ecce enim
hanc cerasum mea securi ipse ferivi».

Hic parvulus erat Georgius Washington, qui postea fuit
suæ patriæ liberator primusque illius Republicæ conditor
atque præses.

Probum rectumque horum virorum animum considera
eorumque insequi vestigia semper conare.

JOSEPHUS M. COLLELL, C. M. F.
Philosophiae alumnus

Celsonae.

AENIGMATA



1. Me omnes homines irrident.
2. Cur culinae intra domus struuntur?
3. Ut e carcere egreditaris dum adsunt vigiles, quid factum oportet?
4. Quid pejus verberatione una?
5. Quo similes sunt sol et fur?
6. Quod est optimum medicamen adversus asianam febrim?
7. Quisnam primus ad Thermopylas cecidit?

JOSEPHUS CAMPS
Exaravit et expolivit
Celsonae.



Vae victis

Brennus Senonum Gallorum dux, profligatis Alliæ Ro-
manis, Romam ad hostes persequendos venit.

Nemine repugnante, milites depopulari coeperunt.

Patricii cum ad Capitolum confugissent, obsidionem
per septem menses tolerarunt, quibus finitis, a Gallis
pacem petierunt, copiosa aureorum soluta compensatione.

Cum aurei appendebantur, Gallorum pondera esse adul-
terata Romani affirmarunt. Brennus statim vectigalia trade-
re, ensem in lance ponens, decrevit.

Simulque haec dixit: «Vae victis».

Celsonae.

JOACHIMUS BONMATI
Philosophiae alumnus

PECTEN

●	O	●	E	●	U	●
O	—	E	—	U	—	U
●	—	●	—	●	—	●
O	S	—	S	—	S	—

1. vir. 3. fruis
2. animus 4. pronomen
Inventi: J. A. COSTA
Pil. alum.

Petrus in vincula conjectus fugit

Eodem fere tempore Herodes rex quosdam Christi discipulos excruciauerat. Quod Judaeis placere animadvertis, jussit et Petrum comprehendendi.

Quem captum et in vinculis conjectum dedit militibus in custodiam, ut quaterni eum custodirent; volebat enim post Paschae festum eum ad populum proferre.

Itaque dum Petrus in carcere servabatur, magnis assiduisque precibus discipuli orabant atque obsecabant Deum ut Petrus catenis liberaretur.

Ecce autem, cum Herodes jamjam eum prolaturus esset, noctu, dum Petrus duabus catenis revinctus inter milites dormit, aliis excubiis ad januam vigilantibus, subito venit Dei Nuntius: quo praesente cancer lumine collistratus est; percutiens latus Petri:

«Age — inquit — exsurge» et excitavit dormientem, a cuius manibus mox excissae sunt catenae.

Idemque Nuntius:

«Indutus, inquit, liga soleas tuas; et palliolo umeris imposito, sequere me». Tum ille egressus custodia, ignorans quae faceret — vanam enim speciem se videre arbitrabatur —, secutus est Nuntium Dei.

(ex ACT. APP., XII) redigit:

Lucianus ROVEDATTI, C. M. P.

Rosarii in Argentina

VI c. alumnus

PUELLAE EPISTULA



BORONAT, pinxit ex
ephemeride «La
vie catholique»

Scriptioni meae,
mater optatissima,
ignoscas velim;
penna enim admodum
usitata est,
neque alia suppetit...

Carolus
LATORRE
Celsonae.

SOLUTIONES

(cfr. PAL. LAT. n. 171, p. 192; n. 172, p. 248 et 250; Pal. Adulesc. n. 23, p. 32; n. 172, p. 38 et 40).

VERBORUM AENIGMA:

- 1) muris; artem;
- 2) Uberi, Leuct;
- 3) Resonat, hr.;
- 4) Iro (ori), eripio;
- 5) Siner (*renis*), uror;
- 6) Alar, emove;
- 7) Retium, per;
- 8) Tu, propina;
- 9) Echlo, venor;
- 10) Miror, eraru (*urare*).

AENIGMA EX OVIDIO:

In transversum: 9. Mareotica (Metam.) 9, 773). 10. aenum (6, 61). 11. inarata (1, 109). 12. Priamum (13, 201). 13. omina (15, 587). 14. patruelis (1, 352). 16. exemplo (4, 622). 18. image (1, 213). 20. Sperchios (1, 579). 22. fodit (7, 315). 23. (1, 467). 24. decutit (5, 104). 25. lupos (10, 540). 26. silvestri (13, 815).

In perpendiculum: 1. omnipotens (2, 401). 2. Arcadiae (15, 332). 3. morata (8, 810). 4. mira (13, 892). 5. Carpathius (11, 249). 6. caritura (14, 132). 7. animal (1, 76). 8. imum (4, 162). 14. prodigiosa (13, 968). 15. spectatrix (9, 359). 17. peccasse (7, 748). 19. indotata (7, 609). 21. Europa (8, 120). 22. facies (6, 674). 23. polo (2, 173). 24. dol (7, 297).

H. H. H.

AETATIS VITIA

Medicus: Quod crure dextro doleas aetatis est.

Aeger: Minime, domine, sinistro enim cruri eadem aetas est et valet.

PETRUS BORES
Phil. alum.

Celsonae.

ANCORAS PERSOLVITE!

Pueri in quattuor choros distribuntur et unusquisque chorus ad singulas litteras
A—B—C—D ex ordine canere incipit.



IN NOSOCOMIO

RECTOR: Quem nunc de tecto pendentem
vides amentem, dicit se esse lucernam.
CIVIS: Quidni eum dimittitis?
RECTOR: Quia in posterum sine luce eri-
mus.

TENTAMINA SCHOLASTICA

Inquisitor —tantis erroribus confectus—
dicit alumno:
—Visne paululum herbae medicae afferre?
Rem capit alumnus et «mihique, inquit, ce-
revisiam afferam».

PROBE RESPONSUM

Plena est stultorum domus?
—Minime vero, primus es qui pervenisti.
L. COROMINAS
Celsus. Philosophus alumnus



Scisne verbis interpretari quae in his picturis vides?

INTER FURES

—Nihilne es assecutus? interrogat fur qui socium exspectabat dum alter de fenestra descendebat.

—Nihil sane, alter molestia plenus respondet; qui hic commoratur causidicus est.

—Pessime res processit, inquit primus, et...
nihilne a te surripuit?

Cervariae,

Martinus MARCH

SURDI APUD JUDICEM

Duo homines surdi ad judicem accesserunt.
Alter iratus:

—Hic, inquit, horologium a me surripuit.
—Vehementer errat, inquit alter, canis eum
non nomenedit.

Et index qui surdus aquae erat;

—Quare non potestis patrem vestrum
alere?

PRUDENTIOR TAURO

Homo a taurō urgetur:

—Si pedes distenti non haberem, pessima
belua, quantis calcis ictibus te percuterem.

Cetsonge.

Petrus BORES
Philosophiae alumnus

BIBLIOGRAPHIA

Mittelsteinisches Wörterbuch bis zum ausgehenden 13. Jahrhundert.

In Gemeinschaft mit den Akademien der Wissenschaften zu Göttingen, Heidelberg, Leipzig, Mainz, Wien, und der Schweizerischen Geisteswissenschaftlichen Gesellschaft, herausgegeben von der BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN und der DEUTSCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN zu BERLIN. I. Band. *Lieferung 1 a-adcumen* (1959). *Lieferung 2 addebeo aer* (1960). *Lieferung 3 aera-allium* (1960). (Cum alto fasciculo a. 1959 edito quo *Abkürzungen und Quellenverzeichnisse* continentur. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung. München.

In commentatiuncula *Per Orbem novum* hoc maximum opus inceptum esse legisti. Ingens sane opus Germania vere dignum.

Hoc dictionarium earum vocum Thesaurum colligit quae Medio ut ajunt Aevo usu venerunt apud Scriptores qui quoquo modo ad Germaniam pertinuerunt quorumque scripta in eo corpore cui est index *Monumenta Germaniae Historica* collecta sunt. Nam nemo est qui ignoret in Germaniam multas ex aliis gentibus confluisse voces ex eaque multis in alias irradiasse. Unde inter autores recensetur Julianus Toletanus et multi Itali. Propositum tantum ad saeculum XIII pervenit, ad mortem Sti. Alberti Magni. Dolendum sane quod his finibus excludantur alii ejusdem aetatis autores, ut Sanctus Thomas Aquinas aliquique scholastici scriptores qui eundem cultum et humanitatem atque Albertus Magnus habuerunt. At aequi fines erant operi perscribendi ne in infinitum procederetur. Neque vero detrimentum irreparabile aestimandum est cum plus minus eadem sentirent illi veteres scriptores unaque fere eademque lingua uterentur. Quo alii per alios explicantur et complementur.

Dictionarium intime cum Thesauro Linguae Latinae conjungitur eumque complet adeo ut ex centenis vocabulis, 50 sint nova et hic primum recensita neque in Thil contenta.

Verba quae ad medicinam, technem, chemiam, mathematica, musicam, venationem, cet., pertinent undequaque procedunt, studio subicituntur et tecto donantur.

Hujus magni operis virtutes plurimae; inter alias has recensebo:

1.º quod verborum vis sensusque latine definituntur et germanice, quo facilius exter eo uti possunt;

2.º quod singulorum vocabulorum studium et labor a proprio signantur auctore. In his fasciculis parandis laborarunt: Otto Prinz, Rudolph, Baader, Ziltner, Pape, Payr, Haefele, Humperdinck, Hessler, Schetter, Schneider aliquique;

3.º cum tot sint operis scriptores, opus unum est et concinnum, eo quod omnes eadem via et ratione processerint;

4.º vocabula et sensus summa perspicuitate proponuntur, exemplis allatis peropportunis, et lucido ordine disposita.

Adhuc III fasciculi, majore charta et forma, minutis densisque typis excusis editi sunt, quibus studio subjecta sunt verba quae inter a-allium continentur.

Optima quaeque faustissimaque tanto operi et cupimus et ominamur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

TAGLIAVINI, CARLO. — *Le origini delle lingue neolatine. Introduzione alla filologia romanza.* Terza edizione ampliata et aggiornata con 50 figure nel testo. Casa Editrice Prof. Riccardo Patron. Bologna, 1959.

Nunc jam tertium hic liber editur, primum tamen veste typographica ornatus, cum antea lythographicce excusus esset. In eo Auctor de ea re agit quae nomine et indice libri proditur, idque summa auctoritate, maxima rerum perspicuitate, locupleti omnium quaestionum cognitione. Septem capitibus longioribus totam rem persolvit: en rerum index: Philologia romanica, «substratum» prae-romanicum (prout apparat in multis regionibus), Romania et regiones amissae et regiones iterum acquisitae. Nucleolus primigenius, (lingua latina),

«adstrata» et «superstrata», linguae et dialecti neolatinae, antiquissima linguarum romanicarum monumenta. — Post singula capita copiosa adjicitur de singulis linguis bibliographia. Exemplo nobis sint capita quae ad linguam hispanicam et catalanicam spectant, ad hanc praecipue, quam maxime Auctor cognoscere et libros qui de ea agunt legisse demonstrat. Quod sane magis admirationem movet cum de lingua agatur angustioris usus. Ut in ejusmodi libris mos est et lex, plurimae paginae indicibus tribuuntur qui et nomina dant auctorum et res actas promunt et verba singularum linguarum romanicarum praebent, quibus indicibus opus consulto facilissimum est et summa utilitate. In his quae linguam vasconicam spectant addi poterat nomen Antonii Grera, qui de hac lingua haud pauca neque contemnenda iam pridem in *Revue d'Etudes Romaniques* egerat, cujusque hac in re investigata et inventa in posterum minime praetermittenda videntur.

Liber jam in alias linguis translatus est et in hispanicam. Vere utilis alumnis illis qui linguis romanicis operam dant. Nam eo omnino breviter, perspicue, concinne continentur quae in singulis quaestionibus praecipua sunt.

J. SIDERA, C. M. F.

P. OVIDIUS NASO. — *Die Fasten*, herausgegeben, übersetzt und kommentiert von Franz BRUEMER. Band I Einleitung. Text und Übersetzung. Band II Kommentar. Carl Winter, Universitätsverlag. Heidelberg. 1957-1958.

Si vis Ovidianos Fastos legere, intellegere, degustare hunc F. Brümer scriptoris lege librum. In eo invenies Ovidii integros Fastos hinc latine, inde germanice, textum latinum apparatu critico ornatum, — in quo summa perspicuitate lectiones varias videbis riteque perpendes —, interpretationem prosa oratione sensum rerumque vim omnimo exprimentem.

At Fasti ut plenus intellegantur multis notis indigent et commentariis quae historiam, geographiam, grammaticam, metricam illustrant. His omnibus illustrandis cl. auctor integrum volumen 427 paginis tribuit in quo singuli fere versus aliquo modo enucleantur et luce perfunduntur. Exempli gratia lege notam versui III 259 de Salis: In ea quicquid

de Salis ab aliis scriptoribus dictum est in compendium redigit auctor eorumque opiniones paucis verbis refert. Item III 261 de nympha Egeria, cet.

Pars prior praeter Fastos densam introductionem praebet ubi opinionum originumque historiam, fontes et argumentum, Romanorum kalendarium, artem narrandi, manuscripta, editiones scite breviterque proponit clarus tanti operis auctor.

CORREA, CALDERON E. — *Teoria de la Atlántida y otras historias fabulosas*. Revista de Occidente, Bárbara de Braganza, 12. Madrid 1959.

Index libri rem in eo enucleatam indicat: fabulas illas commenticias de Atlantide, de amissso paradiſo quaesito, de Sti. Barandani insula, de Gog et Magog, Tartaris illis quos Alexander Magnus inclusit quique post annos 7.000 orbem terrarum invasuri erant..., de miris arboribus. Omnia agit auctor dicendi genere exquisito, eleganti, venusto. Id unum ego non probem (praeter alias sententias et verba quae ut res litterariae intelleguntur) quod cum de Atlantide longe lateque scribat multorumque et veterum et recentium scriptorum áfferat nomina, ne semel quidem meminit Verdaguerum poëtam hispanicum qui integrum mirificumque poëma Atlantidi tribuit. Quod sane in opere litterario vix intelligitur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

SCHOENBERGER, OTTO. — *Uebungsbuch des lateintischen Stils*. Zweite, veraenderte und ueberarbeitete Auflage. Carl Winter - Universitaetsverlag, 1960.

Commodus hic libellus ut quis recte scribere latina lingua ediscat. Editio perpolitor, quae plures usus eosque colore varios, grammaticae, stilisticae, «phraseologiae» alumno praebet; hinc vero germanicus textus, hinc latina conversio. Latina autem est multiplex, ut plurimum, conversio. Synonyma rite passim innuuntur, et minus necessaria in sermone vocabula notantur.

Libellum sane ad rem utilissimum idoneumque ducimus. Cui octo et viginti exercitationes adduntur; tres et quadraginta paginae textus; quibus octoginta conversiones latinae respondent.

PHILOPONUS, C. M. F.